ÆSOPI PHRYGIS, ET ALIORVM FABVLÆ.

Quorum nomina, sequenti pagella videre licet.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA CHRISTOPHORI PLANTINI.

ANNO,
M. D. LX.

FABVLARVM QVAE HOC IN LIBRO CONTINENTVR INTERPRETES, ATQVE AVTORES.

ÆSOPI FABVLATORIS VITA, E GRÆCA MAXIMI PLANVDIS LATINA FACTA.

RErum humanarum naturam persecuti sunt & alij,& posteris tradiderunt: Aesopus verò videtur non absque diuino afflatu cùm moralem disciplinam attigisset, magno interuallo multos eorũ superasse.etenim neque definiendo,neque ratiocinando,neq; ex historia,quam ante ipsius ætatem tulit tempus, admonendo,sed fabulis penitus erudiendo sic audientium venatur animos,vt pudeat ratione præditos facere,aut sentire,quæ neq; aues,neque vulpes: & rursus non vacare illis,quibus pleraque bruta tempore prudenter vacasse singũtur:ex quibus aliqua pericula imminentia effugerunt,aliqua maximã vtilitatem in opportunitatibus consecuta sunt. Hic igitur,qui vitã suam philosophicæ Reipub.imaginẽ proposuerat, & operibus magis quàm verbis philosophatus , genus quidem traxit ex Ammorio oppido Phrygiæ,cognomento Magnæ,sed fortuna fuit seruus. Quare & magnopere mihi videtur Platonis illud in Gorgia pulchrè simul & verè dictũ:Plerunque enim hæc,inquit,cõtraria inter se sunt,natura simul, ac lex.Nam Aesopi animum natura liberum reddidit:sed hominũ lex corpus in seruitutem tradidit. Potuit tamen ne sic quidem animi libertatem corrumpere.Sed quãuis ad res varias,& in diuersa loca transferret corpus, à propria tamen sede illum traducere nõ potuit.Fuit autẽ non solùm seruus,sed & deformissimus omniũ suæ ætatis hominum.nam acuto capite fuit,pressis naribus,depresso collo, prominentibus labris, niger (vnde & nomen adeptus est:idem enim Aesopus,quod Aethiops) vẽtrosus,valgus, & incuruus, fortasse & Homericũ Thersiten turpitudine formæ superans. Hoc verò omniũ in eo pessimũ erat,tardiloquentia, & vox obscura simul,& inarticulata. Quæ omnia etiam videntur seruitutem Aesopo parasse.Etenim mirum fuisset, si sic indecẽti corpore potuisset seruientiũ retia effugere. Sed corpore sanè tali,animo verò solertissimo natura extitit , & ad omne cõmentum felicissimus.

Poſſeſſor igitur ipſius tanquã ad nullum domeſticũ opus cõmodum,ad fodiendum agrum emiſit.Ille verò digreſſus alacriter operi incumbebat.Profectò verò aliquando & hero ad agros, vt inſpectionẽ operarũ faceret,agricola quidam ficos egregias decerptas dono tulit. Ille verò fructus delectatus pulchritudine, Agathopodi miniſtro(hoc enim erat nomen puero)ſeruare iuſſit,vt ſibi poſt balneũ apponeret.Cùm verò ita eueniſſet,atq; Aeſopus ob quandam neceſſitatem ingreſſus eſſet in domum,occaſione capta Agathopus conſilium huiuſmodi conſeruo cuidã offert:Impleamur,ſi placet,ficubus heus tu: & ſi herus noſter has requiſierit,nos contra Aeſopũ teſtificabimur ambo,quòd in domum ingreſſus ſit,ficusq; clàm comederit: & ſuper vero fundamẽto, videlicet quòd domũ ingreſſus ſit,multa mendacia ſtruemus.neq; enim quicquam poterit vnus contra duos, præſertim cùm ſine probationibus ne mutire quidem audeat. Viſo verò hoc ad opus acceſſerunt, & ficus deuorantes dicebant in ſingulis cũ riſu: Væ tibi infelix Aeſope. Cùm igitur herus redijſſet à lauacro, & ficus petijſſet, audiuiſſet autem quòd Aeſopus eas comediſſet,Aeſopũ cum ira iubet vocari,& vocato ait: Dic mihi ô execrande,ita me contempſiſti,vt in penarium ingredereris,& paratas mihi ficus comederis? Ille audiebat quidem,& intelligebat,loqui autem nullo modo poterat ob linguæ tarditatem.Cùm iam verberandus eſſet,& delatores vehementiores inſtarent, procũbens ad heri pedes, vt ſuſtineret ſe parùm,orabat. Cùm autem cucurriſſet,& tepidam aquã attuliſſet,eam bibit:& digitis in os demiſſis,humorem ſolum reiecit: nõdum enim cibũ attigerat. Orabat igitur vt idem& accuſantes facerent,quò manifeſtum fieret,quiſnã ficus diſſipaſſet. Herus autem ingeniũ hominis admiratus,ſic facere &alios iuſſit.Illi autẽ deliberauerant bibere quidem aquam,non tamen demittere in guttur digitos,ſed per obliqua maxillarũ eos circũferre. Vixdum autem biberant,cùm tepida illa aqua,nauſea potis inducta,effecit vt ſponte fructus redderetur. Tunc igitur ante oculos poſito maleficio miniſtrorum,& calumnia,herus iuſſit eos nudos flagris cædi.Illi verò cognouerunt manifeſtè dictũ illud: Qui in alterũ dolos ſtruit, ſibi

ſibi inſcius malum fabricat. Sequenti verò die hero in vrbem reuecto, Aeſopo verò fodiente, quemadmodũ iuſſus fuerat, ſacerdotes Dianę, ſiue alij quippiã homines cùm à via aberraſſent, Aeſopum nacti, per Iouẽ hoſpitalem obſecrabant hominẽ, vt quæ in vrbem duceret, viã oſtenderet. Ille cùm ſub vmbram arboris viros adduxiſſet prius, & frugalem appoſuiſſet cœnã, inde & dux factus ipſis, in quam quærebant viam induxit. Illi autem tũ ob hoſpitalitatem, tũ quòd dux eorũ fuiſſet, mirũ in modũ viro deuincti, manus in cœlũ eleuarunt, & precibus benefactorẽ remunerati ſunt. Aeſopus verò reuerſus, inq; ſomnum lapſus ob aſſiduũ laborem & æſtum, viſus eſt videre Fortunã aſtantem ſibi, & ſolutionẽ linguæ ſermonisq; curſum, & eam, quæ fabularũ eſt, doctrinam largiri. Statim igitur excitatus ait: Papæ, vt ſuauiter dormiui: ſed & pulchrum ſomniũ videre viſus ſum. ecce, expeditè loquor, bos, aſinus, raſtrũ. Per deos intelligo vnde mihi bonũ acceſſerit hoc: quoniam enim pius fui in hoſpites, propitiũ numen conſecutus ſum. Ergo benefacere, bona plenũ eſt ſpe. Sic igitur Aeſopus lætatus facto rurſum cœpit fodere. Præfecto agri (Zenas erat ipſi nomen) ad operarios profecto, & horũ vnum, quoniã leuiter errauerat in opere, virga verberante, Aeſopus ſtatim exclamauit: Homo, cuius gratia eũ qui nullam iniuriã fecit, ſic verberas? & omnibus temetè plagas ingeris quotidie? omnino renũciabo hæc hero. Zenas autem hæc ab Aeſopo audiens, obſtupuit non mediocriter, ſecũq; ait: Quòd Aeſopus loqui cœperit, nulla mihi vtilitas erit: præuertã igitur ipſe, & accuſabo eũ coram domino, antè quàm hoc ipſum faciat, & me herus procuratione priuet. His dictis in vrbem vectus eſt ad dominũ. Cæterùm turbatus cũ acceſſiſſet: Salue, inquit, here. Ille verò: Quid perturbatus ades? inquit. Et Zenas: Res quędã monſtroſa in agro contigit. At herus: Nunquid arbor pręter tempus fructũ tulit? aut iumentum aliquod præter naturam genuit? Et ille: Non ita, ſed Aeſopus qui antea erat mutus, nunc loqui cœpit. Ad hęc herus: Sic tibi nihil boni fiat hoc exiſtimanti monſtrũ eſſe. Ille autem: Sane, inquit: nã quę in me contumelioſè dixit, ſponte prętereo here: in te autem & Deos intolerabiliter cõuiciatur. His ira

percitus herus,Zenę ait:Ecce tibi traditus est Aesopus,vēde,dona,quod vis de eo fac. Cū Zenas autē in potestate sua accepisset Aesopū,quodq; in eū haberet imperiū,ei renuntiasset,ille:Quodcūq; visum tibi fuerit,inquit,effice. Accidit autem cùm vir quidam iumenta vellet emere,& propterea per agrū illū iter faceret,Zenā rogauit.Ille:Iumentū,inquit,mihi vendere non licet, sed mancipiū masculum:quod si vis emere,adest.Cùm verò mercator iussisset ostendi sibi seruulū,& Zenas Aesopū accersisset,mercator videns ipsum,& cachinnatus:Vnde tibi,inquit ad Zenam,hæc olla?vtrum trūcus est arboris,an homo?hic nisi vocem haberet,fermè videretur vter inflatus.Quare mihi iter interrupisti huiusce piaculi gratia? His dictis,iter suum prosequebatur.Aesopus verò insecutus ipsum:Mane,inquit. Ille autem conuersus:Abi,inquit,à me sordidissime canis. Aesopus autem: Dic mihi,cuius rei causa huc venisti? Et mercator: Scelesté,vt aliquid boni emerē: te quòd inutilis & marcidus sis,non egeo.Aesopus cōtrà: Eme me,& si qua est fides,multū te iuuare potis sum.Ille: Qua in re à te iuuari possem,cùm sis odiū penitus? Et Aesopus, Non ne adsunt tibi pueruli domi turbulenti,& flentes?his præfice me pædagogum,omnino eis pro larua ero. Ridens igitur de hoc mercator,inquit Zenæ: Quāti malū hoc vēdis vas?Ille verò:Tribus,inquit,obolis. Mercator autē statim tres obolos soluit,dicens: Nihil expendi,& nihil emi. Quū igitur iter fecissent,ac peruenissent in suā domū,pueruli duo,qui adhuc sub matre erant,Aesopo viso perturbati exclamauerunt.Aesopus autē statim mercatori inquit:Habes meę pollicitationis probationē. Ille verò ridens ingressus, inquit: Saluta conseruos tuos. Introgressum autē ac salutantē videntes illi:Quodnā malū nostro hero,inquiunt,contigit,vt seruulū adeò deformē emerit?Sed vt videtur,pro fascino domus hunc emit. Non multò verò pòst & mercator ingressus, apparari res ad iter seruis iussit, quòd postridie in Asiam profecturus esset.Illi igitur statim vasa distribuebant. At Aesopus rogabat leuissimū onus sibi cōcedi, tanquā nuper empto,& nondum ad hæc ministeria exercitato.His autem & si nihil tollere velit, veniā præbentibus,ille non oportere dixit

xit omnibus laborantibus, se solũ inutilem esse. His quod attollere vellet permittentibus, huc & illuc cùm circun-
spexisset, & vasa congregasset diuersa, saccos, & stramen-
ta, & canistros, vnũ canistrum panis plenũ, quem duo ba-
iulare debebant, sibi imponi iubet. Illi autem ridentes, &
nihil esse stultius vili hoc scelesto inquientes, qui cũ pau
lò antè leuissimũ postularet tollere onus, nũc omniũ gra
uissimũ elegisset: oportere tamen desideriũ eius explere:
sublatũ canistrum imposuerunt Aesopo. Ille verò hume-
ris onere grauatis huc & illuc dimouebatur. Hunc vidẽs
mercator, admiratus est, & inquit: Aesopus cùm ad labo-
randum prõptus sit, iam suum pretiũ persoluit, iumẽti e-
nim onus sustulit. Cùm verò hora prandij diuertissent, Ae
sopus iussus panes dispensare, semiuacuum canistrũ mul
tis comedentibus fecit. Vnde etiã post prandium leuiore
onere facto alacrius incedebat. Verùm vespere quoq; illic
quò diuerterãt, pane distributo, postera die vacuo omni-
no in humeros sublato canistro, primus omnium ibat, vt
conseruis, qui hunc animaduerterent pręcurrentẽ, dubiũ
faceret, vtrum putridus esset Aesopus, an quis alius: & illi
cùm cognouissent eũ esse, admirarentur, quòd denigratus
homũcio solertius omnib⁹ fecisset, quoniã qui facilè ab-
sumerentur panes, sustulisset, cũ illi stramenta, & reliquã
supellectilem baiularent, quæ ea nõ sit natura, vt sic absu
matur. Mercator itaq; cùm esset Ephesi, alia quidem man
cipia cũ lucro vendidit: remanserunt autem ei tria, Gram
maticus, Cantor, & Aesopus. Cùm verò quidã ex familia-
ribus ei suasisset, in Samum vt nauigaret, tanquã ibi cum
maiore lucro diuenditurus seruulos, persuadet. Cùm au-
tẽ mercator peruenisset in Samũ, Grãmaticum quidem, &
Cantorẽ, vtrunq; noua veste indutũ statuit in foro: sed Ae
sopum quoniã nulla ex parte poterat ornare (totus enim
erat mendosus) veste ex sacco ei circũposita, medium in-
ter vtrunq; constituit, vt & videntes stuperent, dicentes:
Vnde hæc abominatio, quę & alios obscurat? Aesopus au
tem quãuis à multis morderetur, stabat tamen audacter
in ipsos intuens. Xanthus verò philosophus habitãs tunc
Sami profectus in forum, & videns duos quidem pueros
cum ornatu astantes, medium verò horum Aesopum, ad-

miratus est mercatoris cõmentũ:nanq; turpem in medio collocauerat,vt appositione deformis,pulchriores seipsis adolescentuli apparerent.Propius autem astans perconta tus est Cantorem cuias esset.Et is,Cappadox.Tũ Xãthus: Quid igitur scis facere? Hic: Omnia.Atq; ad hæc Aesopus risit.Discipuli verò,qui cũ Xãtho vnà erãt,vt viderũt ipsum risisse,& ostendisse dentes,statim aliquodmonstrũ videre arbitrati sunt.Vno autem dicente:Certè hernia est dentes habens: Alio verò,Quid nã videns risit?Alio,non risisse,sed riguisse:omnibus autem volentibus cognoscere cur risisset,vnus ipsorũ accedens,Aesopo inquit: Cuius rei gratia risisti?Et is,Abscede marina ouis.Illo verò confuso funditus eo sermone, repenteq; secedente, Xanthus inquit mercatori:Quanto pretio Cantor?Illo autem mille obolis respondente,ad alterũ iuit,immenso audito pretio. Atqui & hunc rogante philosopho, cuias nã foret,& audito Lydũ esse,rursusq; rogante:Quid ergo scis facere? & illo dicente,Omnia,iterũ risit Aesopus.Ex scholasticis autem quodã dubitãte,quidnã hic ad omnes ridet? Alius ei dixit:Si vis & tu marinus hircus vocari,roga. Xanthus autẽ rursus rogauit mercatorẽ:Quanto pretio Grammaticus?Et ille tribus millibus obolorũ,respondit. Aegrè tulit Philosophus immensum pretiũ,&auersus discedebat. Scholasticis autem petentibꝰ,an nõ placuerint ei seruuli: Næ,inquit,sed decretũ est,nõ emere mãcipiũ pretiosum. Vnus autem ipsorũ dixit: Si hæc ita se habent,igitur turpem hunc quin emas,nulla lex vetat:idẽ enim & hic ministeriũ afferet,& nos pretiũ huius impendemus.ad hæc Xanthus ait:Ridiculum esset,vos soluisse pretiũ,me autẽ seruũ emisse:alioqui &vxorcula mea mundiciæ studiosa, nõ ferret à deformi seruulo seruiri sibi. At scholastici rursus dixerunt,in prõptu est sententia,ne pareatur fœminę. tunc Philosophus: Faciamus prius periculũ, an sciat aliquid,ne & pretiũ incassum pereat. Adiens igitur Aesopũ: Gaude,inquit.Et ille:Num´nã tristabar?EtXanthus:Saluto te.Ille autẽ,Et ego te.Xanthus vnà cũ alijs inexpectato,& prõpto responso stupefactus rogauit,Cuias es?Ille, Niger.Et Xanthus:Non hoc inquã,sed vnde natus sis.Et is:Ex ventre matris meæ. Non hoc dico,sed in quo loco natus

natus ſis. Et ille: Non renunciauit mihi mater mea, vtrũ in ſublimi loco, an in humili. Et philoſophus. Quid verò facere noſti? Ille, nihil. Et Xanthus: Quomodo? Quoniam hi omnia ſe noſſe profeſſi ſunt, mihi autẽ reliquerũt nihil. Atq; his ſcholaſtici vehementer delectati: Per diuinã prouidentiã, dixerunt, valde bene reſpondit: nullus enim eſt homo, qui omnia norit, & propterea ſcilicet riſit. Rurſus igitur Xanthus inquit: Vis emam te? Et Aeſopus: Me hac in re conſultore eges? Vtrũ tibi videtur melius, aut emere, aut non, fac: nullus enim quicquam vi facit. hoc in tua poſitum eſt voluntate: & ſi volueris, crumenæ ianuam aperiens, argentũ numera: ſin verò minimè, ne cauillare. Rurſus igitur ſcholaſtici inter ſe dixerunt: Per deos ſuperauit præceptorem. Xanthus verò cùm dixiſſet: Si emero te, fugere voles? Ridens Aeſopus ait: Hoc ſi voluero facere, nullo modo vtar te conſultore, vt & tu paulò antè, me. Et Xãthus, Bene dicis, ſed deformis es. Et ille: Mentẽ inſpicere oportet ô philoſophe, & non faciem. Tunc mercatorem adiens Xanthus inquit: Quanti hunc vendis? Et ille: Vt vituperes meas merces, ades, quoniam te dignis omiſſis pueris, deformem hunc eligis: alterum horũ eme, hunc autem auctarium accipe. Et Xãthus: Non certè, ſed hunc. Et mercator: Sexaginta obolis eme. At ſcholaſtici confeſtim collatos expoſuerũt: Xanthus autem poſſedit. Itaque publicani venditione cognita, aderant indagãtes, quis vendiderit, quis emerit: at cùm puderet vtrunque ſe pronunciare propter vilitatẽ pretij, Aeſopus ſtans in medio exclamauit: Qui venditus eſt, ego ſum: qui emit, hic: qui vendidit ille. ſi verò ipſi tacuerint, ego igitur liber ſũ. publicani verò diffuſi gaudio, donato Xantho vectigali, abierunt. Aeſopus igitur ſequebatur in domum euntem Xanthũ. Cùm meridianus autem æſtus eſſet, Xanthus inter deambulandum palliũ trahendo mingebat. Quod videns Aeſopus, veſtibus illius apprehẽſis retro, ad ſeipſum traxit, atque inquit: Quàm celerrimè me vende, quoniã fugiam. Et Xanthus, Quamobrem? Quoniam, inquit, non poſsẽ tali ſeruire hero. ſi enim tu, qui herus es, & neminẽ times, tamen relaxationem non præbes naturæ, ſed eũdo mingis: ſi obtigerit ſeruum me ad aliquod mitti mini-

ſterium

ſterium,& inter eundum tale quid exigat natura,neceſſe omnino fuerit volando cacare. Et Xanthus:Hoc te turbat?tria mala volens euitare,eundo mingo. Et ille:Quæ? Et hic:Stanti mihi caput percuſſiſſet ſol:pedes verò terrę ſolum torridũ:lotij autem acrimonia,olfactũ offendiſſet. Tunc Aeſopus:Vade,perſuaſiſti mihi.Poſtquã autem domi fuerunt,Xanthus iubens Aeſopũ manere ante veſtibulum, quoniã elegãtiuſculam eſſe ſibi mierculã ſciebat, neq; oportere ilicò talem turpitudinem ei oſtendi , antè quàm aliquis ipſi vrbana diceret: ipſi ingreſſus dicit:Domina, non etiã poſthac obijcies miniſterium,quod mihi tuæ pediſſequę pręſtant:iam enim & ego puerũ tibi emi, in quo videbis pulchritudinem , qualem nunquã vidiſti, qui & iam ante veſtibulũ ſtat.& ille quidem hęc.Pediſſequæ autem vera exiſtimantes, quæ dicta fuerant,inter ſe nõ mediocriter contendebãt, cuinã ipſarũ ſponſus nuper emptus futurus ſit. Xanthi verò vxore intro vocari nouitiũ iubente mancipium, vna ex alijs magis accelerans,& vt arrabonem vocationẽ arripiens,nouitium ſeruũ egreſſa acerſebat.Et illo dicente,Ecce ego adſum:ſtupefacta, Tu,inquit,es?Et hic:Nę.Et illa,Sine inuidia ne ingrediaris intrò,omnes alioqui fugient.Alia tamen egreſſa,eũq; intuita: Cædatur tua,inquit, facies, & huc ingredere,ſed ne appropinques mihi. Ingreſſus ſtetit corã domina:quæ cùm eum vidiſſet,oculos auertit ad virum,inquiens: Vnde mihi hoc mõſtrum attuliſti?abijce ipſum à facie mea. Et ille: Satis tibi domina, ne meum ſubmorde nouitium ſeruum. Hæc autem: Videris Xanthe mę peroſus,aliam inducere velle:&fortè dum pudet dicere mihi vt tua domo abſcedam, canicipitem mihi hunc apportaſti, vt eius ægrè latura miniſterium fugiam. Da igitur mihi dotem meam,atque ibo. Ad hæc Xantho increpante Aeſopum tanquam in itinere vrbana quædam locutum de mictu inter eundum , nunc vero mulieri nihil dicentem,Aeſopus ait:Proijce ipſam in barathrum.Et Xanthus:Tace ſcelus,an neſcis me hanc,vt meipſum,amare?Et Aeſopus:Amas mulierculam? Et ille:Admodum quidem, fugitiue. Ad hæc Aeſopus pulſato medio pede, valdę exclamauit: Xanthus philoſophus vxorius eſt. Et verſus ad ſuam dominam

minā ait: Tu ô domina velles philosophū emisse tibi seruum iuuenem, bono habitu, vigentem, qui te nudā in balneo spectaret, & tecum luderet in dedecus philosophi? O Euripedes, aureum ego tuū inquam os, talia dicens, Multi impetus fluctuum marinorum, multi fluminum, & ignis calidi flatus: dura res paupertas, dura & alia infinita: tamen nihil æquè durum, vt mulier mala. Tu verò ô domina philosophi vxor à pulchris adolescentulis tibi vt ministretur noli, ne quo pacto contumeliam viro tuo inflixeris. Illa hęc audiens, cùm nihil cōtradicere posset: Vnde vir, inquit, pulchritudinem hanc venatus es? sed & loquax putridus hic videtur, & facetus, recōciliabor igitur ei. Tum Xanthus: Aesope, reconciliata est tibi tua hera. Et Aesopus ironicè loquēs: Magna res, inquit, placare mulierem. Et Xanthus: Tace posthac, emi enim te ad seruiendum, non ad contradicendum. Postera die Xanthus Aesopo sequi iusso, ad hortum quendam iuit empturus olera. Cùm verò olitor fasciculum olerum messuisset, accepit Aesopus. Xantho autem soluturo iam hortulano pecuniam, hortulanus: Sine, inquit, here, vnum problema à te desidero. Et Xanthus: Quidnam? Tum ille: Quid ita, vt quæ à me plantantur olera, quamuis diligenter & fodiantur, & irrigentur, tardum tamen suscipiunt incremētum: quibus verò spontanea è terra pullulatio, etsi nulla cura adhibetur, ijs tamen celerior germinatio? Xanthus igitur (licet philosophi quæstio foret) cùm nihil aliud sciret dicere: A diuina prouidentia & hoc inter cætera gubernari inquit. Aesopus verò (aderat enim) risit. Ad quem philosophus: Rides'ne, an derides? Et Aesopus: Derideo, inquit, sed non te, verùm qui te docuit. Quæ enim à diuina prouidentia fiunt, hæc à sapientibus viris solutionem sortiuntur: oppone itaque me, & ego soluam problema. Interim itaque Xanthus conuersus inquit olitori: Minimè omniū decens est, ô amice, me, qui in tantis auditorijs disceptauerim, nunc in horto soluere sophismata: puero autem huic meo, qui consequentia multorum callet, si proposueris, solutionē consequêris quæsiti. Et olitor: Hic turpis literas nouit? ô infelicitatem. sed narra ô optime, si quæsiti declarationem nosti. Et Aesopus: Mulier, inquit,
cùm

cùm ad ſecundas nuptias iuerit,liberis ex priore viro ſuſceptis,ſi virũ quoque inuenerit filios ex priore vxore genuiſſe,quos ipſa filios adduxit,horum mater eſt:quos inuenit penes virum,horũ eſt nouerca.multum igitur in vtriſq; oſtendit differentiã : nam quos ex ſe genuit amãter & accuratè nutrire perſeuerat,alienos verò partus odit,& inuidia vtens, illorum cibos diminuens, ſuis addit filijs. Illos enim natura quaſi proprios amat : odio autẽ habet, qui viri ſunt,quaſi alienos. Eodem modo & terra,eorum quæ ipſa ex ſe genuit,mater eſt:quę autem tu plantas,horũ eſt nouerca: huius rei gratia, quæ ſua ſunt,vt legitima magis nutrit,ac fouet:à te autem plantatis,vt ſpurijs,non tantũ alimenti tribuit. His delectatus olitor : Crediderís mihi,inquit, quòd me graui ſolicitudine hac garrulitate leuaris.Abi gratis ferẽs olera,& quoties tibi his opus eſt, tanquam in propriũ hortum vadens accipe.Poſt dies aliquot rurſus in balneum proficiſcitur Xanthus.Quibuſdã autem amicis ibi inuentis,ad Aeſopum loquitur,vt in domũ currat,& lentem in ollam iniectã coquat.Ille abiens granum vnũ lentis in ollam iactũ coquit. Xanthus ergò vnà cum amicis lotus vocauit hos cõpranſuros, pręfatus tamen & quòd tenuis eſſet futura cœna , vtpote ex lente, quodq; nõ oporteret varietate ferculorũ amicos iudicare,ſed probare volũtatem.His verò profectis,& in domũ ingreſſis,Xanthus inquit:Da nobis à balneo bibere Aeſope.illo verò ex deflexu balnei accipiente & tradente,Xanthus fœtore repletus:Hem quid hoc,inquit,Aeſope?Et ille:A balneo,vt iuſſiſti.Xãthus autem præſentia amicorũ iram cõpeſcente, & peluim ſibi apponi iubente, Aeſopus pelui appoſita ſtabat.Tunc & Xanthus :Non lauas?Tum ille:Iuſſum eſt ea facere,quæ iuſſeris:tu nunc non dixiſti, Inijce aquam in peluim, & laua pedes meos,& pone ſoleas,& quæcunq; deinceps.Ad hęc igitur amicis Xanthus ait:Num enim ſeruũ emi?nullo modo,ſed magiſtrũ. Diſcumbentibus itaque ipſis,& Xantho Aeſopũ rogante,an cocta ſit lens,cochleari acceptũ ille lentis granũ tradidit. Xanthus accipiens,ac ratus gratia faciendi periculum coctionis lentem accepiſſe,digitis conterens ait:Bene cocta eſt,affer.Illo ſolùm aquam vacuante in ſcutellas,& appo

nente,

nente, Xanthus: Vbi eſt lens? inquit. Et is: accepiſti ipſam. Et Xanthus: Vnum granum coxiſti? Tum Aeſopus, Maximè: lentem enim ſingulariter dixiſti, nõ lentes, quod pluratiuè dicitur. Xanthus ergo prorſus conſilij inops: Viri ſocij, ait, hic ad inſaniam me rediget. Deinde conuerſus ad Aeſopũ, ait: Sed ne videar, improbe ſerue, amicis iniurius, abiens eme pedes porcinos quatuor, & perceleriter coctos appone. Feſtinus hoc peragit: ac dũ pedes coquerentur, Xanthus iure volens verberare Aeſopũ, cùm eſſet in re aliqua ad vſum occupatus, vnum ex pedibus ex olla clanculũ auferens, occulit. Paulò pòſt autem & Aeſopus veniens, & ollam perſcrutatus, vt tres ſolos pedes vidit, cognouit inſidias ſibi aliquas factas: & accurrens in ſtabulũ ſaginati porci vnum ex quatuor cultro amputans, & pilis nudans in ollam iecit, ac coxit cum cæteris. Xãthus verò veritus, ne Aeſopus ſubreptũ pedem nõ inueniens, fugeret: rurſus in ollam ipſum iniecit. Aeſopo autem in patinã pedes euacuante, ac quinq; his apparentibus, Xanthus: Quid hoc, inquit, Aeſope: quomodo quinq;? Et ille: Duo porci quot habent pedes? Et Xanthus, Octo. Tum Aeſopus: Sunt ergo hic quinque, & ſaginatus porcus inferius tripes paſcitur. Xanthus admodũ moleſtè ferens, amicis inquit: Nonne paulò antè dixi, quòd celerrimè hic me ad inſaniã rediget? Et Aeſopus: Here, noſti id quod ex additione & ſubductione in quantitatem ſecundum rationalẽ ſummam colligitur non eſſe errorem. Xanthus igitur nullam cauſam honeſtã inueniens verberandi Aeſopũ, quieuit. Poſtridie autem ex ſcholaſticis quidam ſumptuoſam apparans cœnã, cum alijs diſcipulis & Xanthũ inuitauit. Cœnantibus igitur, Xanthus partes ex appoſitis accepit electas, & Aeſopo ponè ſtanti dedit: Abi, inquit ei, beneuolęq; meæ hæc trade. Ille verò decedens ſecum cogitabat: Nũc occaſio eſt vlciſcendi meã dominã, propterea quòd me, cũ nouitius veni, cauillata eſt: videbit igitur an hero meo bene velit. Profectus itaq; in domũ, ſedit in veſtibulo: & hera accita ſportulam partiũ corã ipſa poſuit, ac inquit: Hera, hæc omnia herus miſit, nõ tibi, ſed beneuolę. Cumq; canẽ vocaſſet, atq; dixiſſet: Veni Lycęna, comede, tibi enim herus hæc iuſſit dari: particulatim cani omnia pro-

proiecit. At post hoc ad herũ regressus,& rogatus an beneuolę dederit omnia: Omnia,inquit, & corã me omnia comedit. Illo verò iterum rogante: Et quidnã edens ait? Et is:Mihi quidẽ nihil quicquã dixit,sed secũ tibi gratias habebat.Vxor tamen Xanthi,eã rem calamitosam esse arbitrata,nẽpe accusata,quòd vel caniculę beneuolentia in virum cederet, ac subdens sese non amplius in posterum cohabitaturã cũ eo,ingressa cubiculũ plorabat.Potu autẽ procedente,& quæstionibus alternis propositis,ac vno ex ipsis ambigente, quando futura esset ingens inter homines turbatio, Aesopus ponè stans ait: Cùm resurrexerint mortui repetentes quę possederint.Et scholastici ridentes dixerũt:Ingeniosus est nouitius hic.Alio verò rursus proponente,quãobrem ouis ad cædem tracta,non exclamet, sus autem quàm maximè vociferetur,Aesopus rursus ait: Quoniã ouis assueta mulgeri,aut etiam velleris onus deponere,tacitè sequitur, ideo etiã pedibus arrepta,& ferrũ videns, nihil graue suspicatur, sed illa vsitata & solita videtur passura: sed;sus,vt quæ neq; mulgetur,neq; tondetur, neq; nouit ad horũ aliquid trahi,sed carnes suas tantùm vsui esse,meritò vociferatur. His sic dictis,discipuli rursus laudauerũt ipsum versi in risum.Finito cõuiuio,& Xãtho in domũ reuerso,& vxorem pro more aggresso alloqui,illa ipsum auersata,inquit:Ne mihi ꝓpinquus fias, da mihi dotem meã,& abibo:non enim manserim tecum posthac: tu autem abiens cani adulare, cui misisti partes. Et Xanthus stupefactus ait: Omnino mali mihi aliquid rursum attulit Aesopus.Et vxori inquit:Domina,num me poto,tu ebria es?cui partes misi?non ne tibi?Non per Iouem,mihi quidem minimè,inquit illa,sed cani.Xanthus Aesopo accito inquit:Cui dedisti partes?Et ille:Beneuolę tuę.Et vxori Xanthus:Nihil accepisti?Et illa,Nihil.Et Aesopus:Cui enim iussisti,here,partes dari?Et ille,Beneuolę meæ.Et Aesopus cane vocata:Hęc tibi,inquit,bene vult: nam mulier etsi bene velle dicatur,tamen minima quaq; recula offensa contradicit, conuiciatur,abit: canẽ tamen verberato,expellito, non tamen discedet, sed oblita omniũ,statim benignè blanditur,& cũ gratia,hero. Oportebat igitur dicere,here,Vxori has partes ferto, & nõ,beneuolæ.

uolæ. Et Xanthus: Vides domina, non meã esse culpã, sed eius qui tulit? tolera itaq;, nec deerit mihi occasio, qua eũ verberem. Illa verò non credente, verùm clàm ad suos parentes regressa, Aesopus inquit: Non rectè dixi, ô here, canẽ tibi magis bene velle, quàm meã herã? Diebus autẽ aliquot præteritis, & vxore irreconciliata manente, & Xantho affines quosdã ad ipsã, vt reuerteretur domũ mittente: illa, cùm cedere nollet, ac proinde Xanthus in mœrore esset, Aesopus adiens eũ, inquit: Ne te afflictes here: ego enim eam cras venire sponte & citissimè faciã ad te. Accepta pecunia Aesopus in forum proficiscitur: ac emptis anseribus & gallinis, & alijs quibusdã ad conuiuium idoneis, ambulãs domos circuibat: trãsibat igitur & ante domũ parentum herę suę, ignorare simulans illorũ esse, & in ea herã manere. Cumq; in quendã ex domo illa incidisset, rogabat an aliquid ad nuptias vtile domestici possent sibi vendere. Ille autem rogitat: Cui est opus his? Xantho, inquit, philosopho: cras enim vxori copulandus est. Eo verò ascendente, & vxori Xanthi hęc, vt audiuit, renunciante, illa cursim & properè ad Xanthum illicò pergit, contra ipsum clamat, dicens inter alia & hæc: Non me viuente, ô Xanthe, alteri vxori cõiungi poteris. Sicq; mansit in domo per Aesopum, quemadmodũ propter illum discesserat. Rursus post dies aliquot inuitans Xanthus discipulos ad prandiũ, Aesopo inquit: I, eme optimum quodq; & præstantissimũ. Ille inter eũdum secum dicebat: Ego docebo herum nõ stulta mãdare. Cùm linguas igitur solùm suillas emisset, & apparasset discumbentibus, linguã assatam singulis cum salsamento apposuit. Discipulis laudantibus vt philosophicum primũ ferculum, propter linguæ ad locutionẽ ministerium, rursus elixas Aesopus linguas apposuit: atq; iterum etiã ferculo alio, atque alio petito, ille nihil aliud quàm linguas proponebat. Discipuli autẽ eodẽ subinde cibo repetito indignati, Quousq; linguas? inquiunt: Quippe nos per diẽ linguas edendo, nostras doluimus. Xanthus inquit iratus: Nihil aliud tibi est Aesope? Et is: Non certè. Tum ille, Non ne mãdaui tibi sordidissime homule, optimum quodq; & prętãtissimum obsonari? Et Aesopus: Multas habeo tibi gratias, quòd me
philo-

Lingua nihil melius. philosophis præsentibus increpaueris. Quid igitur fuerit lingua melius & præstantius in vita? omnis enim doctrina & philosophia per ipsam mõstratur ac traditur: per ipsam dationes, acceptiones, fora, salutationes, benedicentiæ, musa omnis: per ipsam celebrantur nuptiæ, ciuitates eriguntur, homines seruantur. Et, vt breuiter dicam, per ipsam tota vita nostra consistit: nihil ergo lingua melius. Ob hæc discipuli Aesopũ rectè loqui dicentes, aberrasse verò magistrũ, abière singuli in domum. Postridie rursus accusantibus ipsis Xanthũ, ille respondebat, non secundũ voluntatẽ suam hæc facta fuisse, sed inutilis serui nequitia: hodie autem permutabit cœnã, & ipse præsentibus vobis cum eo colloquar. Ac vocato eo, vilissimũ quodque & pessimũ obsonari iubet, quod discipuli secum forent cœnaturi. Ille autem nihil mutatus, rursus linguas emit, & apparatas discumbentibus apposuit. Hi inter se submurmurabãt: Porcinæ rursus linguæ. Et mox iterũ linguas apposuit. Et valde iterũ, atque iterũ. Xanthus autem iniquo animo ferens: Quid hoc, inquit Aesope? num rursus mandaui tibi optimũ quodque, & præstantissimum obsonari, ac non potius vilissimũ quodque, & pessimũ? Ille autem: *Nihil lingua peius.* Et quid vnquã peius lingua ô here? nõne vrbes per ipsam corruunt? non homines per ipsam interficiuntur? nõ mendacia omnia, & maledicta, & periuria per ipsam perficiuntur? nõ nuptiæ, & principatus, & regna per ipsam euertuntur? non, vt summatim dicam, vita omnis per ipsam infinitorum errorũ referta est? Hęc Aesopo dicẽte quidã ex vnà discumbentibus Xantho inquit: Hic, nisi valde teipsum munieris, non dubia erit insaniæ causa tibi: qualis enim forma, talis & anima. Et Aesopus ad eũ: Tu mihi videris, ô homo, prauus quidam, & curiosus esse, herum irritans contra seruũ. Xanthus autem ad hæc, causam cupiens verberandi hominẽ: Fugitiue, inquit, quoniã curiosum dixisti amicũ, ostende mihi incuriosum hominẽ adductum. Egressus igitur postridie in plateam Aesopus, & eos, qui præteribant, circũspiciens, vidit quendam in loco quodã diu sedentem, quem iudicans secũ ociosum & simplicem esse, accedens inquit: Herus te inuitat secum pransurum. Rusticus ille nihil sciscitatus, neq; quis esset à quo inuitaretur,

taretur, ingressus est in domum, & cum ipsis calceis, vt erant viles, discubuit. Rogante autem Xantho, Quis hic? Aesopus ait: Incuriosus homo. Et Xanthus vxori in aurem dicit vt sibi obsequeretur, & quod ipse iusserit, faceret, vt plagas Aesopo honesta ratione inferret. Deinde coram omnibus inquit: Domina aquam in peluim inijce, & pedes hospitis laua. Cogitabat enim secum omnino hospitem recusaturum. Aesopum verò quòd ille curiosus esset, verberibus cæsum iri. Illa igitur iacta aqua in peluim, ibat pedes hospitis lotura. At ille cognoscens hanc esse domus dominam, secum loquebatur: Honorare me omnino vult, atque huius rei gratia suis manibus pedes meos vult lauare, cùm ancillis queat hoc mandare. Extensis igitur pedibus: Laua, inquit, hera: ac lotus discubuit. Xantho autem iubente vinum hospiti dari quod biberet, rursus ille considerabat secum ipsos antè oportere bibere: sed quia sic ipsis visum est, non opus mihi hæc inquirere. Accipiens igitur bibit. Prandentibus verò, & ferculo quodam hospiti apposito, atque illo suauiter comedente, Xanthus cocum, quòd malè hoc condiuisset, criminabatur, atque etiam nudum verberibus afficiebat. Rusticus autem secũ dicebat: Ferculum quidem optimè coctum est, & nihil ei deest, quò minus rectè paratũ sit: si autẽ absq; causa vult suum seruum flagellare paterfamiliâs, quid ad me? Xantho autem ægreferente, neque iucundè affecto, quoniam nihil hospes curiosè inquirebat, tãdem placentæ allatæ sunt. Hospes verò tanquam nunquã placentam gustasset conuoluens, & accipiens, ipsas vt panes comedebat. Xanthus autem pistorem accusauit, dixitq; ei: Curnam ô execrande, absque melle ac pipere placentas præparasti? Ille inquit: Si cruda est, ô here, placenta, me verbera: si verò non vt oportebat, præparata est, non me, sed heram accusa. Et Xanthus: Si à mea hoc factum est vxore, viuam ipsam nunc comburam. Atque iterum vxori innuit, vt sibi obsequeretur propter Aesopum. Cùm igitur iussisset sarmenta in medium afferri, pyram succendit, & arreptam vxorem prope pyram egit, ita vt crederetur ipsam in ignem esse immissurus: differebat autem aliquo modo, & circunspiciebat rusticum, si quo modo assurgẽs,

à tali audacia prohibere ipsum aggrederetur. Sed is secũ rursus considerabat: Cùm nulla adsit causa, quid'nã sic irascitur? Deinde inquit: O paterfamiliâs, si hoc iudicas oportere fieri, expecta me parumper, dum digressus abducam & ipse meã ex agro vxorem, vt ambas simul combu ras. Hęc à viro Xanthus audiens, & huius synceritatem, ac generositatem admiratus, Aesopo inquit: Ecce verè homo incuriosus, habes accepta præmia victorię, ô Aesope: satis est tibi de cætero, dein verò libertatem tuam assequêris. Postridie autem Xanthus iussit Aesopũ in balneas ire, & scrutari, an multa adesset turba, velle enim lauari. Abeunti autem prætor occurrens, & Xanthi ipsum esse cognoscens, interrogauit quo'nam iret. Quod cùm se is negasset scire: existimans Prætor interrogationem suam flocci pendi, in carcerem ipsum abduci iubet. Cùm igitur abduceretur Aesopus, clamauit: Vides, ô Prętor, quemadmodũ rectè responderim? quę enim non expectaui, & occurri tibi, & in carcerem iam trahor. Tum Prætor stupefactus responsi prõptitudine, sinit abire. Aesopus autem profectus in balneas, multã turbam in ipsis intuitus est: sed & lapidem videt in medio ingressu positum, in quem singuli ingredientes, & egredientes offendebant: hunc autem vnus quispiam ingrediens vt lauaretur sublatum trãsposuit. Reuersus igitur ad herum: Si vis, inquit, here, lauari, vnũ hominem in balneis vidi. Xanthus profectus, ac multitudinem lauantium videns dixit: Quid hoc, ô Aesope? non'ne vnũ hominẽ dixisti te vidisse? Aesopus: Certè, inquit: nam lapidem illum (manu ostendens) ante ingressum positum reperi, in quem ingredientes omnes & exeuntes offendebant: vnus verò quidam antequam illideret, eleuatũ transposuit. Illum igitur vnum hominẽ dixi vidisse: pluris faciens quàm alios. Tum Xanthus, nihil apud Aesopum tardum est ad responsionem. Cùm aliquando Xanthus ex latrina rediret, interrogauit Aesopum; Quid ita homines post cacationem ventris excrementa aspiciunt? Ille ait: Antiquis temporibus vir quidam delicatius viuens multo tempore præ delicijs in latrina sedebat, vt & sua illic immorãs cacauerit præcordia. Ex illo tempore igitur timentes cæteri homines, ventris inspiciunt sordes, ne quo

modo

modo & ipsi hoc patiātur. Sed tu here, ne time: non enim sunt tibi prǫcordia. Die autem quodam celebrato conuiuio, Xanthus cum alijs philosophis discumbebat, & potu iam inualescente, crebræ quæstiones inter hos versabantur: atque Xantho incipiente turbari, Aesopus adstans ait: Here, Bacchus tria possidet temperamenta, primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium contumeliæ. Vos igitur poti iam, & lætati, quæ reliqua sunt, omittite. Tū Xanthus iam ebrius, ait: Tace, inferis consule. Et Aesopus: Igitur & in infernum distrahêre. Ex discipulis autē quidam subebrium iam Xanthum videns, &, vt vniuersum dicam, temulentum: O prǫceptor, inquit, potest'ne homo aliquis ebibere mare? Et ille: Admodum quidem: ego enim ipse hoc ebibam. Discipulus: At si non poteris, quamnam tibi mulctam irrogabo? Tum Xanthus: Domum meā depono totam. Atque interim depositis anulis pacta firmauerunt, tum discesserunt. Postridie diluculo, excitato Xantho, ac faciem lauante, anulum inter lauandum non vidit. Aesopum de eo interrogat. Ille nescio inquit, quidnā factum fuerit: sed vnum scio tātum, quòd à domo decideris tua. Tum Xanthus: Quamobrem? Aesopus: Quoniam heri ebrius pepigisti mare ebibere, atq; in pactis deposuisti & anulū. Et is: Tum quomodo maius fide opus potero? verū te nunc rogo, si qua cognitio, si qua prudentia, si qua experientia, prǫsto sis, ac opem porrige, vt vincam, aut pacta dissoluā. Aesopus autē: Vincere quidem haud licet, sed vt soluas pacta, efficiā. Cùm hodie rursus in vnum cōueneritis, nullo modo videaris timere, verùm quǫ pactus es ebrius, eadem sobrius quoque dic. Iube itaque stramenta, & mensam in litore poni, & pueros paratos cum poculis porrigere tibi marinā aquam. Cùm autem omnem videris turbam concurrisse ad spectaculum, ipse discumbēs iube ex mari impleri poculum, atque hoc accepto omnibus audientibus, dic pactis præfecto: Quænā apud nos fœdera iniuimus? Atq; is respōdebit tibi, quòd pepigeris mare ebibere. Conuersus igitur tu ad omnes, sic dicito: Viri Samij, scitis & vos penitus quamplurimos fluuios prorūpere in mare, ego autem pepigi mare solum ebibere, non etiā excuntia in ipsum flumina. hic itaq; scolasticus

prius coërceat flumina omnia, deinde statim mare solùm ebibam. Xanthus autem futuram ex hoc pacti solutionem cognoscens, vehementer lætatus est. Populus igitur ad litus confluit ad spectaculum eius, quod faciendum erat, cumque Xanthus quæ edoctus fuerat ab Aesopo, fecisset, ac dixisset, Samij admirati, acclamauerũt, ac ipsum laudarunt: Scholasticus autem, Xanthi pedibus obuolutus, & victum se confitebatur, & pacta rogabat dissolui: quod & fecit Xanthus exorante populo. Profectis autem ipsis in domum, Aesopus adiens Xanthum, inquit: Per omnem vitam tibi gratificatus sum, non'ne dignus sum, ô here, consequi libertatem? At Xanthus obiurgando ipsum repulit, dicens: An nolo ipse hoc facere? sed exi ante vestibulum, & speculare: & si videris duas cornices, renuncia mihi: bonum enim augurium hoc. quòd si vnam videas, hoc malum. Accedens igitur Aesopus, cùm duas fortè ita cornices super quadam vidisset arbore sidentes, accedens, Xantho renunciauit. Exeunte autem Xantho, altera harũ auolauit: & Xanthus alterã solam videns ait: Non'ne dixisti mihi execrande duas vidisse te? Et is: Ita, sed altera auolauit. Tum Xanthus: Deerat tibi fugitiue me vt deluderes? Iubet igitur eum denudatum verberari. At dum Aesopus verberabatur, præfectus quidam inuitauit ad cœnã Xanthum, Aesopo inter verbera exclamante: Hei mihi misero: ego enim qui duas vidi cornices, verberor: tu verò, qui vnam tantùm, in conuiuium abis. vanum itaque fuit augurium. Tum Xanthus solertiam eius admiratus, cessare iubet verbera. Non multis autem pòst diebus philosophos & rhetores cùm inuitasset Xanthus, iussit Aesopũ ante vestibulum stare, & nullum indoctum ingredi sinere, sed doctos solos. Hora autem prandij clauso vestibulo, Aesopus intus sedebat. Ex inuitatis autem quodam profecto, & ianuam pulsante, Aesopus intus ait: Quid mouet canis? ille putans canis vocari, iratus discessit: sic ergo vnusquisque veniens, reuertebatur iratus, putans iniuria affici, Aesopo eadem omnes interrogante. Cùm autem vnus ex ipsis ostium pulsasset, interrogatus quid moueret canis, respondit: Caudam & aures. Aesopus ipsum rectè iudicans respondisse, aperta ianua ad herum duxit, ac inquit:

quit: Nullus philoſophus ad conuiuium tuum venit ô he re, præter hunc ſolum. Xanthus igitur valde triſtatus eſt, deceptum ſe exiſtimans ab inuitatis. Poſtridie cùm veniſſent inuitati ad literarium ludum, accuſabant Xanthũ, dicentes: Vt videris ô præceptor, cupiebas quidem ipſe contemnere nos: ſed veritus, putridum in veſtibulo conſtituiſti Aeſopum, vt nos iniuria afficeret, & canes vocaret. Et Xanthus: Inſomnium'ne id eſt, an vera res? Tum illi: Niſi ſtertimus, vera res. Confeſtim accerſitus Aeſopus, & rogatus cum ira, cuius rei gratia amicos ignominioſè amoſitus eſſet, ait: Non tu mihi here mandaſti, ne quem vulgarem ac indoctum hominem permitterem in tuum conuenire conuiuium, ſed ſolos doctos? Tum Xanthus, Et quales hi, non'ne docti? Et Aeſopus: Nullo pacto: ipſis etenim pulſantibus ianuã, & me intus rogitante quidnã moueret canis, nullus eorũ intellexit ſermonem. Ego igitur cùm indocti omnes viderẽtur, nullum ipſorum introduxi niſi hunc, qui doctè reſpondit mihi. Sic igitur cũ Aeſopus reſpondiſſet, rectè omnes dicere ipſum confirmarunt. Ac poſt dies rurſus aliquot Xanthus ſequẽte Aeſopo, ad monimenta acceſſit, & quę in arcis erant epigrãmata legens, ſe ipſum delectabat. At Aeſopo in quadam ex ipſis inſcalptas literas has vidente. α. β. τ. ο. ε. θ. χ. oſtendenteq; Xãtho, atque rogante, an haſce nouiſſet: diligenter ille ſcrutatus, non potis fuit harum inuenire declarationem, ac faſſus eſt dubitare omnino. Tum Aeſopus: Si per hanc columnulam, ô here, theſaurum oſtendam tibi, qua re me remunerabis? Et is: Confide, accipies enim libertatem tuã, atque dimidium auri. tunc Aeſopus diſtans à cippo paſſus quatuor, & fodiens, accepit theſaurum, & tulit hero, dicens: Da mihi promiſſum, cuius gratia inueniſti theſaurum. Et Xanthus: Non, ſi & ego ſapiam, niſi & ſenſum literarum mihi dixeris: nam ſcire hoc multò re inuenta mihi pretioſius. Et Aeſopus: Qui theſaurum infodit hîc, vt vir eruditus literas inſcalpſit has, quæ & inquiunt: α, ἀποβὰς. β, βήματα. τ, τέσσαρα. ο, ὀρύξας. ε, εὑρήσεις. θ, θησαυρὸν. χ, χρυσίου. Xanthus autem: Quia ita ſolers es, & aſtutus, non accipies tuam libertatem. Et Aeſopus: Renuntiabo dandum aurum, ô domine, regi Byzantinorum: illi

Id eſt, receděs paſſus quatuor fodiens inuenies theſaurũ aureũ.

Id est, Redde regi Dionysio quem inuenisti thesaurum aureum.

Id est, accep tum euntes diuidite quem inuenistis thesaurum aureum.

enim reconditum est. Et Xanthus: Vnde hoc nosti? Et ille? Ex literis: hoc enim inquiunt. α, ἀπόδος. β, βασιλεῖ. δ, διονυσίῳ. ο, ὃν. ε, εὗρες. θ, θησαυρὸν. χ, χρυσίου. Xanthus audiẽs regis esse aurum, Aesopo ait: Accepto dimidio lucri taceto. Et ille: Non tu mihi nunc hoc præbes, sed qui aurum hîc infodit. ac quemadmodum, audi: hoc enim dicunt literæ, α, ἀνελόμενοι. β, βαδίσαντες. δ, διέλεσθε. ο, ὃν. ε, εὕρετε. θ, θησαυρὸν. χ, χρυσίου. At Xanthus: Venias, inquit, in domum, vt & thesaurum diuidamus, & tu libertatem accipias. Profectis ergo, Xanthus timens Aesopi loquacitatem, in carcerem ipsum iussit inijci. Cùm abduceretur Aesopus, sic inquit: Huiusmodi sunt promissa philosophorum? non solùm enim non accipio meam libertatem, sed in & carcerem iubes inijci me. Xanthus igitur iussit ipsum solui, & ait ei: Nimirum rectè inquis, vt parta libertate, vehementior sis contra me accusator. Tum Aesopus dixit: Quodcunque mihi potes facere, fac malum: omnino vel inuitus liberabis me. Ea verò tempestate huiusmodi res Sami obtigit. Cùm publicè festum celebraretur, repentè aquila deuolans, & publicum rapiens anulum, in serui sinum demisit. Itaque Samij perterriti, cùm ob hoc prodigium incidissent in multum mœrorem, in vnum coacti, cœperunt rogare Xanthum, quòd primus ciuium esset, & philosophus, vt sibi iudicium prodigij manifestaret. At ille omnino ambigens, tempus petijt. Profectus igitur domum, tristis erat admodum, & solicitudinibus immersus, vt qui nihil iudicare posset. Aesopus verò mœrore Xanthi cognito, audiens ait: Qua causa, ô here, sic perseueras tristari? Mihi committe, vale dicto mœrori. Cras in forum profectus dic Samijs: Ego neque prodigia soluere didici, neque augurari: sed puer mihi est multarum rerum peritus, ipse vobis quęsitum soluet. Et si ipse consecutus fuero solutionem here, tu gloriam reportabis, tali vtens seruo: sin minùs fuero consecutus, mihi soli erit dedecus. Persuasus igitur Xanthus, postero die in theatrum profectus, & astãs in medio, iuxta monita Aesopi concionatus est ijs, qui conuenerant. Illi verò statim rogabant Aesopum acciri. Qui cùm venisset, staretque in medio, Samij facie ipsius confide-

conſiderata, deridentes clamabant: Hæc facies prodigiũ ſoluet? ex deformi hoc quid vnquam boni audiemus? Ita ridere cœperunt. At Aeſopus extenta manu ſilentio petito, inquit: Viri Samij, quid faciem meam cauillamini? non faciem, ſed animum reſpicere oportet: ſæpe enim in turpi forma bonum animum natura impoſuit. An vos exteriorem teſtarum formam conſideratis, ac non potius interiorem vini guſtum? Hæc ab Aeſopo cùm audiſſent omnes, dixerunt: Aeſope, ſi quid potes, dic ciuitati. Ille igitur audacter ait: Viri Samij, quoniam Fortuna, quæ contentionis ſtudioſa eſt, gloriæ certamen propoſuit domino & ſeruo: ſi ſeruus inferior videatur domino, verberibus cæſus abibit: ſin autem præſtantior, nihilominus & ſic verberibus lacerabitur. Si vos per meam libertatem, loquendi mihi fiduciam indulſeritis, ego nũc vobis intrepidè quęſitum narrabo. Tunc populus vno ore clamabat ad Xanthum: Libertate dona Aeſopum, obtempera Samijs, largire libertatem eius ciuitati. At Xantho non annuenti, Prętor ait Xantho: Si tibi non placet auſcultare populo, ego hac hora Aeſopum libertate donabo, & tunc tibi æqualis fuerit. Tunc igitur Xanthus neceſſariò libertatem reddidit, & præco clamauit: Xanthus philoſophus liberum Samijs largitur Aeſopum. atque interim finem ſermo Aeſopi accepit dicentis Xantho, vel inuitus me libertate donabis. Aeſopus itaque libertatem conſecutus, ſtans in medio, ait: Viri Samij, aquila vt ſcitis, regina auium eſt. Quoniam autem imperatorium anulum hæc raptum demiſit in ſerui ſinum, hoc ſignificare vult quendam ex ijs, qui nunc ſunt, regem, velle veſtram libertatem in ſeruitutem redigere, atque ſancitas leges irritas facere. His auditis Samij mœrore repleti ſunt. Sed non multo pòſt tempore & literæ à Crœſo Lydorũ rege venerunt ad Samios, iubentes eis vt in poſterum tributa ſibi penderent: ſin minus obtemperaſſent, vt ad pugnam ſe pararent. Conſultabant igitur vniuerſi. Timuerũt enim ſubditi fieri Crœſo, conducibile tamen eſſe & Aeſopum conſulere. Et ille conſultus ait: Cùm principes veſtri ſententiam dixerint de tributo dando obtemperandum eſſe regi, conſilium iam minimè, ſed narrationem vobis afferam, & ſcietis quid

conducat. Fortuna duas vias ostendit in vita, alteram libertatis, cuius principium accessu difficile, sed finis planus: alteram seruitutis, cuius principium facile, & accessibile, finis autem laboriosus. His auditis, Samij exclamauerunt: Nos cùm simus liberi, serui esse gratis nolumus: & oratorem infecta pace remiserunt. His ergo cognitis, Crœsus decreuit bellum in Samios mouere. Sed legatus retulit: Non poteris Samios debellare, quandiu est apud eos Aesopus, & consilia suggerit. Potes autem magis, ait, ô rex, legatis missis, petere ab ipsis Aesopũ, pollicitus eis & gratias aliàs relaturum, & remissionem iussorum triburorum: tunc fortè poteris eos superare. Crœsus his persuasus, legato misso dedi sibi petebat Aesopum. Samij autem hunc tradere decreuerunt. Quo cognito, Aesopus in media concione stetit, ac inquit: Viri Samij, & ego permulti facio ad regis pedes proficisci: volo autem vobis fabulam dicere. Quo tempore animalia inter se loquebantur, lupi bellum ouibus intulerunt. Vnà verò cum ouibus canibus præliantibus, ac lupos arcentibus, lupi legato misso dixerunt ouibus, si voluerint viuere in pace, & nullum suspicari bellum, vt canes sibi traderent. Ouibus ob stultitiã persuasis, & canibus traditis, lupi & canes dilacerarũt, & oues facilimè occiderũt. Samij igitur fabulæ sensu cognito, decreuerunt apud se detinere Aesopum. Ille verò non tulit, sed cum legato vnà soluit, & ad Crœsum se contulit. Profectis autem ipsis in Lydiam, Rex antè se stantem Aesopum videns, indignatus est dicens: Vide qualis homuncio impedimento mihi ad tantam insulam subigendam fuit. Tum Aesopus: Maxime rex, non vi, neque necessitate coactus ad te veni, sed sponte adsum, sustine autem me parumper audire: Vir quidam cùm locustas caperet, occideretque, cepit & cicadam: cùm & illam vellet occidere, inquit cicada: O homo, ne me frustra occidas: ego enim neque spicã lædo, neque alia in re quapiam iniuria te afficio: motu verò, quæ in me sunt membranularum, suauiter canto, delectans viatores: præter igitur vocem in me amplius nihil inuenies. Ille his auditis permisit abire. Et ego itaque, ô Rex, tuos pedes attingo, ne me sine causa occidas: non enim

De lupis et ouibus.

De homine & cicada.

enim possum iniuria quenquam afficere, sed in vili corpore generosum loquor sermonem. Rex autem miratus simul & miseratus ipsum, ait: Aesope, non ego tibi largior vitam, sed fatum: ergo quod vis pete, & accipies. Et ille: Rogo te, ô rex, reconciliare Samijs. Cumque rex dixisset, reconciliatus sum, procidens ille in terram, gratias ei agebat. Et post hæc suas conscripsit fabulas, quas in hunc vsque diem extantes apud regem reliquit. Acceptis autem ab ipso literis ad Samios, quòd Aesopi gratia eis reconciliatus fuerit, atque muneribus multis, nauigauit in Samum. Samij igitur hunc videntes, & coronas ei intulerunt, & choreas eius gratia constituerunt. Ille autem & regis literas legit, & ostendit quòd sibi donatam à populo libertatem, libertate rursus remuneratus fuerit. Post hæc verò ab insula decedens, circuibat orbem, vbique cum philosophis disputando. Profectus & in Babylonem, & suam ipsius doctrinam demonstrando, magnus apud Regem Lycerum euasit. Illis enim temporibus reges inuicem pacem habentes, atque delectationis gratia quæstiones vicissim sophisticas scribendo mittebāt: quas qui soluerent, tributa pacta à mittentibus accipiebant: qui verò non, æqualia præbebant. Aesopus igitur quæ mittebantur problemata Lycero intelligens dissoluebat, & clarum reddebat regem, & ipse Lyceri nomine altera itidem regibus remittebat: quæ cùm remanerent insoluta, tributa rex quàm plurima exigebat. Aesopus autem cùm non genuisset filios, nobilem quendam Ennum nomine adoptauit, atque vt legitimum filium regi allatum, commendauit. Non multo autem pòst tempore, Ennus cum adoptantis concubina rem habuit: hoc sciens Aesopus expulsurus erat domo Ennum, qui in illum ira correptus, epistolamque fictam, ab Aesopo scilicet ad eos, qui sophismatis cum Lycero certabant, quòd ipsis paratus esset adhærere magis, quàm Lycero, regi dedit Aesopi signatam anulo. Rex & sigillo credens, atque inexorabili ira percitus, statim Hermippo iubet, nulla examinatione facta, tanquam proditorem occideret Aesopum. At Hermippus & amicus fuerat Aesopo, & tunc se amicum ostendit: in sepulcro enim quodam nemine sciente occulta-

Quando cōscripserit Aesopus fabulas.

occultauit hominem,& secretò nutriuit. Ennus autem regis iussu omnē Aesopi administrationē suscepit. Quodam pòst tempore Nectenabo rex Aegyptiorum audiens Aesopum mortuum esse, mittit Lycero statim epistolam, architectos sibi mittere iubētem, qui turrim ædificent, quę neque cælum, neque terram attingat, & aliquem qui semper respondeat ad omnia quæcunque rogauerint: quod si fecisset, tributa exigeret: sin minus, solueret. His lectis Lycerus mœrore affectus est, cùm nullus ex amicis posset quæstionem de turri intelligere. Rex verò & columnam sui regni dicebat interijsse Aesopum. Hermippus autem dolore regis ob Aesopum cognito, adijt regem, & viuere illum renunciauit, addiditque ipsius causa Aesopum non peremisse, sciens quòd pœniteret aliquādo regem sententiæ. Rege autem vehementer his lętato, Aesopus sordens ac squalens totus, adductus est. Cumq; rex vt eum vidit, illacrymasset, atque vt lauaretur, aliaq; cura afficeretur, iussisset, Aesopus post hoc & de quibus accusatus fuerat, causas confutauit: ob quæ cùm rex Ennū esset occisurus, Aesopus ei veniam petijt. Post hæc autem Rex Aegypti epistolam Aesopo dedit legēdam. At ille statim solutione cognita quæstionis, risit, ac rescribere iussit: cū hyems præterisset, missum iri & qui turrim essent ædificaturi, & aliquem qui responderet ad rogata. Rex igitur Aegyptios legatos remisit, Aesopo autem pristinam administrationem tradidit omnem, deditum ei tradens & Ennum. At Aesopus acceptum Ennum nulla in re tristitia affecit, sed vt filium rursus receptum inter cętera his admonuit verbis: Fili, ante omnia cole Deum. Regem honora. Inimicis tuis terribilem te ipsum præbe, ne te contemnant: amicis facilem & cōmunicabilem, quò longè beneuolentiores tibi sint. Item inimicos malè habere precare & esse pauperes, ne te possint offendere: at amicos in omnibus bene valere velis. Semper vxori tuę bene adhære, ne alterius viri periculum facere velit: leue enim mulierū est genus, ac delinitū adulatione minus mala cogitat. Velocem ad sermonem ne posside auditum. Linguæ cōtinens esto. Bene agentibus ne inuide, sed cōgratulare: inuidens enim teipsum magis offendes. Domesticorū tuorum satage, vt

Precepta quæ dedit Aesopus Enno.

te, non

te,non solùm vt dominum timeant,sed etiam vt benefactorem venerentur. Ne pudeat discere semper meliora. Mulieri non vnquã credas secreta,nam semper armatur, quomodo tibi dominetur. Quotidie in diem crastinũ recondе:melius enim mortuum inimicis relinquere,quàm viuentẽ amicorũ indigere. Salutato facilè,qui tibi occurrunt,sciens & catulo caudam panem comparare.Bonum esse ne pœniteat.Susurronem virum eijce domo tua,nam quæ à te dicuntur,ac fiunt,alijs communicabit. Fac quæ te non mœstificent. Contingentibus ne tristare. Neque praua ineas vnquàm consilia, neque mores malorũ imiteris. His ab Aesopo Ennus admonitus,tũ sermone,tum sua conscientia,vt sagitta quadam percussus animum,paucis pòst diebus è vita discessit. Aesopus autem aucupes omneis accersiuit, atque aquilarum pullos quatuor vt caperent, iubet: sic itaque captos nutriuit, vt dicitur,ac instruxit(cui rei non magnã fidem adhibemus)vt pueros in sportis ipsis appensis gestando in altũ volarent, atque ita obedientes pueris essent,vt quocunque illi vellent,volarent,siue in altũ,siue in terrã deorsum:præterito verò hyemali tempore, ac Vere arridente, cùm ad iter omnia parasset Aesopus,& pueros accepisset, & aquilas,decessit in Aegyptum, multa imaginatione & opinione ad stupefactionem illorum hominum vsus.Sed Nectenabo audito adesse Aesopũ:Insidijs circumuentus sum,inquit amicis, quia intellexerã Aesopum mortuum esse.Postridie autem iussit rex, vt omnes magistratus candidis circundarentur vestibus:ipse ἱέραν induit,& coronã,ac gẽmatam κίταριν. Cumq; sedens in alto solio, Aesopum introduci iussisset, Cui me assimulas (ingredienti inquit) Aesope,& eos qui mecum sunt? Et ille: Te quidem,Soli verno: qui verò te circumstant,maturis aristis,& rex admiratus ipsum,&donis eum prosecutus est. Postero autem die rursus rex candidissimam togam indutus, amicis purpureas iussis accipere, ingredientem Aesopum iterum rogauit. Et Aesopus: Te, inquit, comparo Soli: hos autem qui stant circùm, radijs solaribus. Et Nectenabo: Puto nihil esse Lycerum præ meo regno. Et Aesopus subridens: Ne facilè de illo sic loquere, ô rex: nam genti vestræ
vestrum

veſtrũ regnum collatũ,inſtar Solis lucet:at ſi Lycero com paretur, nihil aberit,quin ſplendor hic,tenebrę appareãt. Et Nectenabo appoſita verborũ reſponſione ſtupefactus: Attuliſti nobis,ait,qui turrim ædificẽt? Et ille: Parati ſunt, ſi modò oſtendas locum. Poſtea egreſſus extra vrbem rex in planiciem,oſtendit dimenſum locum. Adductis igitur Aeſopus ad oſtenſos loci angulos quatuor aquilis vna cũ pueris per ſacculos appenſis, ac puerorum manibus datis fabrorum inſtrumentis, iuſſit euolare: illi verò ſublimes: Date nobis,clamabant, lapides, date calcem, date ligna, & alia,quæ ad ædificationem apta ſunt. Sed Nectenabo viſis pueris ab aquilis in altum ſublatis, ait: Vnde mihi volucres homines? Et Aeſopus: Sed Lycerus habet: tu autem homo cùm ſis, vis cum æquo dijs regi contendere. Et Nectenabo: Aeſope victus ſum: percontabor autem te,tu reſponde. Et ait: Sunt mihi fœminæ hîc equæ,quæ cùm audiuerint eos, qui in Babylone ſunt, equos hinnientes, ſtatim concipiunt. Si tibi ad hoc eſt doctrina, oſtende. Et Aeſopus: Reſpondebo tibi cras,ô rex. Profectus verò vbi hoſpitabatur, felem iubet pueris comprehendi, & captum publicè circumduci verberando. Aegyptij autem illud animal colentes, cùm ſic ipſum malè tractari viderent, concurrerunt, & felem è manu verberantium eripuerunt, ac rem celeriter renunciarunt regi. Qui vocato Aeſopo: Neſciebas,inquit,Aeſope,tanquam Deum à nobis coli felem? quare igitur hoc feciſti? At ille, Lycerum regem iniuria affecit, ô rex, præterita nocte hic felis. Gallum enim eius occîdit pugnacem, & generoſum,præterea & horas ei noctis nuntiantem. Cui rex: Non pudet te mentiri Aeſope? Quonam modo vna nocte felis ab Aegypto iuit in Babylonem? Tum ille ſubridendo inquit: Et quo modo, ô rex, Babylone equis hinnientibus,hîc equæ fœminæ concipiunt? Rex autem his auditis, prudentiam Aeſopi felicem eſſe dixit. Poſt hæc autem cùm acciuiſſet ex Heliopoli viros quæſtionum ſophiſticarum peritos, atque de Aeſopo cum eis diſputaſſet, inuitauit vnà cum Aeſopo ad conuiuium. Diſcumbentibus igitur ipſis, quidam Helipolita inquit Aeſopo: Miſſus ſum à Deo meo quæſtionem quandam rogaturus

te,vt

te,vt ipsam solueres. Cui Aesopus: Mentiris, Deo enim ab homine nihil opus est discere: tu autem non solum te ipsum accusas, sed Deum tuum. Alius rursus ait: Est templum ingens, & in ea columna, duodecim vrbes continẽs, quarum singulæ triginta trabibus fulciuntur, quas circun currunt duæ mulieres. Tum Aesopus ait: Hanc quæstionem apud nos soluent & pueri. Templum enim est hic mundus: Columna, annus; Vrbes, menses. Et trabes, horũ dies. Dies autem & nox, duæ mulieres, quæ vicissim sibi succedunt. Postridie conuocatis amicis omnibus, Nectenabo inquit: Propter Aesopum hunc debebimus tributa regi Lycero. At ex his vnus ait: Iubebimus ei quęstiones dicere nobis ex ijs, quæ neque scimus, neque audiuimus. Et ille: Cras hac de re vobis respondebo. Decedens igitur & composito scripto in quo cõtinebatur: Nectenabo con fitens mille talenta Lycero debere, manè reuersus Regi scriptũ reddidit. Regis autem amici priusquã aperiretur scriptum omnes dixerunt: Et scimus hæc, & audiuimus, & verè scimus. Et Aesopus: Habeo vobis gratiã restitutionis causa. At Nectenabo confessione debiti lecta ait: Me nihil Lycero debente, omnes vos testificamini? Illi mutati dixerunt: Neq; scimus, neq; audiuimus. Et Aesopus: Si hæc ita se habent, solutum est quæsitum. Ad hæc Nectenabo: Felix est Lycerus, talem in regno suo doctrinam habens. Ergo pacta tributa tradidit Aesopo, atque in pace remisit. At Aesopus in Babylonem profectus, narrauit Lycero acta in Aegypto omnia, & tributa reddidit. Lycerus autem iussit statuam aureã Aesopo erigi. Non multo autem pòst tempore, Aesopus in Græciam decreuit nauigare, compositioneque cum rege facta, discessit, iuratus ei prius proculdubio rediturum se in Babylonem, atque illic reliquum vitæ victurum. Peragratis autem Græcis vrbibus, & sua doctrina patefacta, peruenit & Delphos: verùm Delphi disserentem quidem audierunt libenter, sed hono re & obseruantia eum affecerunt nulla. Is autem ad eos suspiciens ait: Viri Delphi, succurrit mihi ligno vos comparare, quod in mari fertur: illud etenim procul videntes dum fluctibus agitatur, magni pretij esse existimamus, postquam autem proximè aduenit, vilissimum apparet. Et

ego itaque cùm procul essem ab vrbe vestra, vt eos, qui existimatione digni sunt, vos admirabar: nunc autem ad vos profectus, omnibꝰ, vt ita dixerim, inueni inutiliores. sic deceptus sum. Hæc cùm audiuissent Delphi, & timerent, ne aliquo modo Aesopus ad alias vrbes accedens malè de se diceret, decreuerunt dolo hominem occidere. Auream igitur phialam ex eo, quod apud se erat sacello Apollinis accipientes, clàm in Aesopi absconderunt stratis. Cùm Aesopus verò ignoraret quæ ab ipsis dolo facta fuerant, egressus ibat in Phocidem. At Delphi aggressi, & detinentes ipsum, percontabantur vt sacrilegum. Illo autem negante aliquid fecisse eiusmodi, illi vi stratis euolutis, auream inuenerunt phialam, quam etiam acceptam omnibus ciuibus ostenderunt non cum paruo tumultu. Igitur Aesopus cognitis illorum insidijs, rogauit eos, vt solueretur. Hi autem non solùm non soluerunt, sed vt sacrilegum in carcerem quoque iniecerunt, morte eius suffragijs decreta. Aesopus autem cùm nulla astutia à mala hac fortuna liberari posset, seipsum in carcere lugebat sedens. Ex familiaribus autem ipsius quidam, Damas nomine, ad ipsum ingressus, & videns eum sic lamentari, causam rei rogauit. Ille ait: Mulier quædam cùm recenter suum virum sepeliuisset, quotidie profecta ad tumulum, plorabat. Arans autem quidam non procul à sepulcro, amore captus est mulieris, & derelictis bobus, iuit & ipse ad tumulum, ac sedens vnà cum muliere plorabat. Cùm illa rogaret cur'nam & ipse sic lugeret: Quoniam & ego, inquit, decentem mulierem sepeliui, & posteaquàm plorauero, mœstitia leuor. Illa autem: Mihi idipsum similiter accidit. Et ille: Si igitur in eadem incidimus mala, cur'nam inuicem non coniungimur? ego etenim amabo te, vt illam: & tu me rursus vt tuum virum. His persuasit mulieri, & conuenerunt: interim autem fur profectus, & boues soluens, abegit. Ille autē reuersus, non inuentis bobus, & plangere, & lugere vehementer instituit. Profecta est & mulier: & lamentantem inueniens, inquit: Iterum ploras? Cui ille: Nunc, ait, verè ploro. Et ego itaq; multis euitatis periculis, nunc verè fleo, solutionem mali necunde inueniens. Post hæc affuerunt & Delphi, &c.

phi, & extractum ipsum è carcere trahebant in præcipitium. Ille autem eis dicebat: Quando colloquebantur animalia bruta, mus ranæ amicus factus, ad cœnam eam inuitauit, & abducta in penarium diuitis, vbi multa edulia erant: Comede, inquit, amica rana. Post epulationem & rana murem in suam inuitauit cœnationem. Sed ne defatigere, inquit, natando, filo tenui tuum pedem meo alligabo. Atque hoc facto saltauit in paludem. Ea autem vrinata in profundum, mus suffocabatur, & moriens ait: Ego quidem per te morior, sed me vindicabit maior. Supernatante igitur mortuo mure in palude, deuolans aquila hunc arripuit vnà cum eo etiam appensam ranam: sicq; ambos deuorauit. Et ego igitur, qui vi per vos morior, habebo vltorem. Babylon enim & Græcia omnis meam à vobis exigent mortem. Delphi tamen ne sic quidem pepercerunt Aesopo. Ille autem in Apollinis con fugit sacellum, sed ij & illinc extraxerunt irati, & in præcipitium rursus traxerunt. Aesopus cùm abduceretur, dicebat, audite me Delphi: Lepus aquila insectante in lustrũ scarabei confugit, rogans vt ab eo seruaretur. Scarabeus autem rogabat aquilam ne occideret supplicem, obtestãs ipsam per maximum Iouem, saltem ne despiceret paruitatem suam. Illa verò irata, ala percutiens scarabeum, leporem raptum depasta est. Scarabeus autem cum aquila volauit, vt nidum eius disceret, ac iam profectus oua eius deuoluta dirupit. Illa cùm graue existimaret, si quis hoc ausus fuisset, & in altiore loco secundò nidificasset, & illic rursus scarabeus ijsdem hanc affecit. Aquila autem inops consilij penitus, ascendit ad Iouẽ (in eius enim tutela esse dicitur) & in ipsius genibus tertiã fœturã ouorum posuit, Deo ipsa commendans, & supplicans vt custodiret. At scarabeus è stercore pilula facta, ascendit, & in sinum Iouis eam demisit. Iupiter assurgens vt fimum excuteret, & oua abiecit oblitus, quæ & contriuit deiecta. Sed cùm didicisset à scarabeo, quòd hæc fecisset, vt aquilam vlcisceretur (non enim scarabeum tantum illa affecit iniuria, sed & in Iouem ipsum impia fuit) aquilæ reuersæ ait, scarabeum esse qui affecit mœrore, & certè iure affecisse. Nolens igitur aquilarum genus deficere, consulit scarabeo, vt aqui-

vt aquilæ reconciliaretur. Cùm hic non paruisset, ille in aliud tempus transposuit aquilarum partum, cùm non appareant scarabei. Et vos igitur ô viri Delphi, ne despicite hunc Deum, ad quem profugi: & si paruum sortitus est delubrum, neque enim impios negliget. Delphi verò hęc parùm curantes, rectà ad mortem itidem ducebant. Aesopus nulla re à se dicta videns eos flecti, rursus ait: Viri crudeles & interfectores audite: Agricola quidam in agro consenuit: cùm nunquam ingressus esset in vrbem, precabatur domesticos vt eam videret. At illi iunctis asellis, atque in currum eo imposito, solum iusserunt agere. Eunti autem procella & turbine aërem occupantibus, & tenebris factis, aselli à via aberrantes, in quoddam præcipitium deduxerunt senem. At ille iam præcipitandus: O Iupiter, ait, qua in re te iniuria affeci, quòd sic iniquè occidor, præsertim cùm neque ab equis generosis, neque à mulis bonis, sed ab asellis vilissimis? Et ego itaque eodem nunc modo tristor, quoniam non ab honoratis viris, & elegantibus, verùm ab inutilibus & pessimis interficior. Iamque præcipitandus, eiusmodi dixit rursus fabulam: Vir quidam suam deamans filiam, rus misit vxorem, solam autem filiam receptam violauit. Illa autē: Pater, ait, scelesta facis, optarem tamen à multis potius viris dedecore hoc affici, quàm à te, qui me genuisti. Hoc nunc & in vos, ô iniqui Delphi dico, quòd eligerem in Scyllam & Charybdim potius incidere, ac in Africæ Syrteis, quàm per vos iniustè atque indignè mori: execror igitur vestram patriam, & deos testor, me præter omnem iustitiam interire, qui me vlciscentur exauditum. Præcipitem igitur ipsum dederunt de rupe, & mortuus est. Non multò pòst autem pestilentia laborantes, oraculum acceperunt expiandam esse Aesopi mortem. Cui quòd & conscij sibi essent, iniustè eum interfecisse, etiam cippum erexerunt. Sed primates Græciæ, ac doctissimi quique, cùm & ipsi quæ in Aesopum facta fuissent, intellexissent: Delphos profecti sunt, & cum illis habita inquisitione, vltores & ipsi Aesopi mortis fuerunt.

AESOPI VITAE FINIS.

FABVLA QVID, ET QVOTVPLEX: EX APHTHONII SOPHISTAE EXERCITAMENTIS.

FABVLA *profecta quidem est à poëtis, sed & rhetoribus communis facta est admonendi gratia. Est autem fabula sermo fictus, imagine quadam repræsentans veritatem. Atque alia Sybaritica, alia Cilix, alia Cypria dicitur, accepto ab inuentoribus nomine. Verùm quoniam Aesopus egregiè præter cæteros conscripsit fabulas, euicit vt potius Aesopia diceretur. Ea verò est triplex, Rationalis, Moralis, Mista. Rationalis, in qua aliquid ab homine geri confingitur. Moralis, quæ eorum imitatur mores, quæ sunt rationis expertia. Mista verò, quæ rationale irrationaleque complectitur. Eam autem admonitionem, cuius causa fabulam constitueris, Antefabulationem præpositam, postpositam verò, Affabulationem dices.*

¶ Fabula, qua formicarum & cicadarum exemplo hortantur iuuenes ad laborem.

CICADAE *olim ætate aßiduis cantibus indulgebant, formicæ verò hyemis memores, laboribus fructibusque colligendis operã dabant. Verùm cùm hyems aduenisset, formicæ ijs quæ collegerant, pascebantur: Cicadas autem delectatio illa, & canendi voluptas, eo indigentiæ miseriæque perduxit, vt esurirent omnes, & fame conficerẽtur. Sic iuuentus laborum fugitans, malè habet in senectute.*

¶ Ex Philostrati imaginibus, Fabulæ.

FABVLAE *se ad Aesopum, sua in eum beneuolentia conferunt, quòd satagat sui. Fabula quippe &*

Homero, & Hesiodo, nec non & Archilocho in Lycamben curæ fuit. Sed ab Aesopo humana omnia ad fabellas redacta sunt, sermone brutis non temere impertito: nam & cupiditatem tollit, & libidinem insectatur, et fraudem. Atque hæc ei leo quispiam agit, & vulpes, & per Iouem equus: nec testudo muta: ex quibus pueri discunt, quæ in vita gerantur. Habentur igitur in pretio fabulæ propter Aesopum. accedunt ad ianuam docti huius, vittis eũ deuinctura, coronaq́ oleagina coronaturæ. hic, vt puto, fabulam aliquam texit: risus enim faciei, & oculi in terram defixi id præ se ferunt. Pictorem, fabularum curas remißiore animo indigere, non latuit. Philosophatur autem pictura & fabularum corpora. Bruta enim cum hominibus conferens, cœtum circa Aesopum statuit ex illius scena cõfictum: Chori dux vulpes depicta est. Vtitur enim ea Aesopus ministra argumentorum plurium, ceu Dauo Comœdia.

¶ Ex Hermogenis exercitamentis, Prisciano interprete.

FABVLA est oratio ficta, verisimili dispositione imaginem exhibens veritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris solent Oratores, quia animos eorum adhuc molles ad meliores facilè vias ritè instituunt. Vsi sunt ea tamen vetustißimi quoque autores, vt Hesiodus, Archilochus, Horatius. Hesiodus quidẽ lusciniæ, Archilochus autem vulpis, Horatius muris. Nominantur autem ab inuẽtoribus fabularũ, aliæ Aesopiæ, aliæ Cypriæ, aliæ Libycæ, aliæ Sybariticæ, omnes autẽ cõmuniter, Aesopiæ dicũtur, quoniã in cõuentibus frequenter solebat Aesopus fabulis vti. Mendacẽ quidem esse nolunt fabulam sed ad vitam vtilem, nec non & verisimilem.

milem. Est autem verisimilis, si res, que subiectis accidunt personis, aptè reddantur: vt puta de pulchritudine aliquis certat, pauo supponatur hic. Oportet alicui astutiam tribuere, vulpecula est subijcienda. Imitatores aliquos hominum volumus ostendere, hic Simys est locus. Oportet igitur modo breuiter, modò latiùs eas disserere. Quomodo autem hoc fiet? Si nunc narratione simplici proferantur, nunc etiam sermo inductus fingatur personis. Exempli causa: Simiæ conuenerunt, & consiliũ habuerunt de vrbe condẽda: & quia placuit illis, paratæ erant incipere ædificationem, sed vetus Simia prohibuit ab incepto, eas docens, quòd facilè capiãtur, si intra muros concludãtur: sic breuiter dices. Si velis producere, sic: Simiæ conuenerunt, & consiliabãtur de vrbe condenda, quarũ vna in mediũ veniens concionata est, quia oportet ipsas quoque ciuitatem habere. Videtis enim, aiebat, quòd ciuitatem habendo felices homines sint, domos etiã habent singuli, & in concionẽ vniuersi, & in theatrũ ascendẽtes delectãt animos spectationibus et auditionibus varijs. Et sic proferes orationẽ in orando, dicens, quod et plebiscitũ scriptũ est, & finges etiã orationem veteris simiæ. Expositio autẽ fabularũ vult circuitionibus carere, & iucũdior esse. Sed oratio, qua vtilitas fabulæ retegitur, quam ἐπιμύθιον vocãt, quod nos affabulationem possumus dicere, à quibusdam prima, à plerisque rationabilius postrema ponitur. Sciendũ verò, quod etiam oratores inter exempla solent fabulis vti.

LAVRENTIVS VALLENSIS INSIGNI VIRO ARNOLDO FOVELLEDAE SALVTEM.

 Promi-

PROMISERAM nuper, me tibi coturnices, quas ipse venatus essem, missurum. Eas capere (vt homo venandi insuetus) cum non possem, ad venationem meam, id est, ad literas me conuerti. Vt fortè ad manus venit libellus Græcus ex præda nauali, tres & triginta Aesopi fabulas continẽs, has omnes bidui labore venatus sum. Mitto igitur ad te, siue fabellas, siue mauis coturnices, quibus oblectare te possis ac ludere. Etenim si Octauianum, Marcumque Antoniũ, orbis terrarum principes, ludo coturnicum delectatos accepimus: profectò tu vir literarum amantissimus, & literato hoc genere ludendi delectaberis. Et si quis Octauiano aut Antonio pugnacem aliquam harum auium dono dedisset, iucũdam illis rem, gratamque fecisset: ego quoq; tibi iucundus gratusque ero, qui plures triginta eius generis aues dono mitto, pugnaces, victrices, & (si fortè magis hoc te iuuat) etiã pingues. Oblectant enim hæ fabellæ, & alunt, nec minus fructus habent, quàm floris. Sed ne donũ suum laudare insolentis sit, finem faciam. Tu si coturnices veras, quàm has fabellas, malis, rescribe: Mittam nanque non modò coturnices, sed etiã perdices. Ex vrbe Caieta Calendis Maij, M. CCCC. XXXVIII.

¶ De vulpe & capro. 1

VULPES et caper sitibundi in puteũ quendã descenderunt: in quo cùm perbibissent, circunspicienti capro reditum, vulpes ait: Bono animo esto caper: excogitaui nanque quo pacto vterque reduces simus. Si quidem

dem tu eriges te rectum primoribus pedibus ad parietem admotis, cornuaque, adducto ad pectus mento, reclinabis: & ego per terga cornuaque tua transiliens, et extra puteum euadens, te istinc postea educam. Cuius consilio fidem habente capro, atque, vt illa dicebat, obtemperante, ipsa è puteo resilijt: ac deinde præ gaudio in margine putei gestiebat exultabatque, nihil de hirco curæ habens. Cæterùm cùm ab hirco vt fœdifraga incusaretur, respondit: Enimuero hirce, si tantum tibi esset sensus in mente, quantum est setarum in mento, non prius in puteum descendisses, quàm de reditu exploratum habuisses.

Hæc fabula innuit virum prudentem debere finem explorare, antequàm ad rem agendam veniat.

¶ De vulpe & pardo. 2

VVLPES *& pardus de pulchritudine altercabãtur: & pardo suam pellem versicolorem extollente, vulpes suam cùm non posset præponere, inquit: At quanto ego speciosior, quæ non corpus, sed animum versicolorem sortita sum.*

Hæc fabula innuit pulchritudinem animi antecellere pulchritudinem corporis.

¶ De cata & Venere. 3

CATA *quædam delicium erat cuiusdam formosi adulescentis. Hanc ille vt in fœminam mutaret, Venerem comprecatus est. Dea miserta cupiditatis adulescentuli, conuertit bestiam in speciosam puellam. Cuius forma inardescens adulescentulus, adducit illam secum domũ. Quibus considentibus in cubiculo, Venus volens periculum facere nunquid illa cum corpore mutasset & mores, murem in medio dimisit. At illa eorum qui aderant, & cubiculi nuptialis immemor, è cubili con-*

ſurgens murem inſequebatur, illũ comedere cupiens: tũ Dea indignata, eam iterum in ſuam reſtituit naturam.

Hec fabula innuit ſceleſtos homines etiam ſi conditionem ſtatumq́ue mutent, tamen mores nequaquam mutare.

¶ De agricola & filijs eius. 4

AGRICOLA *filios ſuos videns quotidie digladiãtes, neque in gratiam reducere potis eſſet: iuſſit faſciculum virgarum ſibi afferri (aderant autem filij illic ſedentes) quæ cùm allatæ eſſent, colligauit omnes in vnum faſciculum: iuſſitq́ue ſingulos eorum faſciculum capere atque confringere. Illis verò confringere non valentibus, ſoluens poſtea faſciculum, tradidit ſingulas virgas eis frangendas: atque illis ſtatim frangentibus, intulit: Ita quidem & vos ô filioli mei, ſi vnanimes inuicem præſtiteritis, inexpugnabiles vos hoſtibus inuictosq́ue præbebitis: ſin minus, veſtra ipſa æmulatio atque ſeditio opportunam vos prædam inimicis faciet.*

Hæc fabula innuit, equè res humanas capere, vel à concordia incrementum, vel à diſcordia iacturam.

¶ De muliere & gallina. 5

MVLIER *quædam vidua habebat gallinam quotidie ſingula oua ponentem. Sperans autem mulier, pro ſingulis bina oua poſituram, ſi plus eſcarum tribuiſſet, opiparè educabat. Gallina verò pinguior effecta, ne vnum quidem ouum amplius facere poterat.*

Hæc fabula innuit, quòd homines per luxum rerum & copiam marceſcentes, ab inſtituta induſtria retardantur.

¶ De duobus adoleſcentibus. 6

DVO *adoleſcentes obſonium à coquo communiter mercati ſunt. Cæterùm cùm coquus quibuſdam negotijs domeſticis intenderet, vacaretq́ue, alter adoleſcentum partem obſonij in alterius manus immiſit. Conuertente autem*

autem se coquo, & partem carnis, quæ aberat requirente, qui carnem sustulerat, iurat se non habere: qui verò habebat, se non sustulisse. Quibus coquus (intellecta adulescentum argutia) inquit: Et si me latet fur: tamen eum quem iurastis, non latebit.

Hęc fabula innuit, quòd si quid homines celamus, Deum tamen nequaquam celare poterimus, qui solus omnia prospicit, & omnia videt.

¶ De duobus amicis & vrso. 7

DVOBVS *amicis vnà iter facientibus fit vrsus obuiã, quorũ vnus perterritus, in arborẽ scandens, latuit: alter verò cùm se imparem vrso fore, & si pugnaret, superatum iri intelligeret, procidens simulabat se mortuum esse. Vrsus verò adueniens, & aures & occiput eius olfaciebat, illo, qui stratus iacebat, vsquequaq; continente respirationem. Ita mortuum esse credens vrsus, abijt. aiunt enim non sæuire in cadauera. Mox alter, qui inter frondes arboris latuerat, descendens, interrogat amicum quidnam ad aurem vrsus esset secum locutus. Cui amicus inquit: Admonuit me, ne posthac cum huiusmodi amicis iter faciam.*

Fabula hæc innuit deuitandos esse amicos, qui periculoso in tempore auxilio præstando reuocant pedem.

¶ De Arundine & olea. 8

DISCEPTABANT *aliquando arundo & olea, de constantia & fortitudine, & de firmitate. Et olea quidem arundini probra ingerebat, vt fragili, & ad omnẽ ventum vacillanti. Arundo autem obticebat, non longum tempus spectans: Nam cùm ventus vehemens ingruisset arundo reflectebatur, agitabaturque. Olea verò cùm violentiæ ventorum reluctari vellet, confracta est.*

Hæc fabula innuit, eos qui fortioribus ad tempus cedunt, potiores esse ijs qui non cedunt.

¶ De Tubicine. 9

ERAT *tubicen quidam, qui in militia signum caneret: is interceptus ab hostibus, ad eos, qui circunsistebãt, proclamabat. Nolite me, viri, innocentem, innocuum, insontemque perimere, nullum enim vnquam occîdi: quippe nihil aliud quàm hanc buccinam habeo. Ad quem illi vicißim cum clamore responderunt: Tu verò hoc ipso magis trucidaberis, quòd cùm ipse dimicáre nequeas, cæteros potes ad certamen impellere.*

Fabula hæc innuit quòd preter cæteros peccant, qui malos, & importunos principes persuadent ad iniquè agendum.

¶ De cane & lanio. 10

CANIS *quidam insilijt in macellum, lanio in aliqua re occupato, & arrepto pecoris corde fugiebat. Ad quẽ lanius conuersus, fugientemque aspiciens inquit: O canis abi: vbicunque fueris, te obseruabo: non enim mihi cor sustulisti, sed cor dedisti.*

Hæc fabula innuit, iacturam frequenter esse hominibus doctrinam.

¶ De ægroto & medico 11

ÆGROTVS *quidam à medico interrogatus, quonã modo se habuisset: præter modum, respondit in sudorem se fuisse resolutum. Cui medicus: Istud (inquit) bonum est. Altero autem die interrogatus quomodo se haberet, respondit: Algoribus correptus, diu vexatus sum. Et istud (inquit medicus) bonum est. Tertiò cùm de eodem interrogaretur, respondit, Profluuio corporis debilitatus sum. Istud (inquit) etiam bonum est. Postea autem à familiari interrogatus: Quomodo habes ô amice? Respondit: Ego etiã atque etiam bene habeo, sed morior.*

Hæc fabula innuit, coarguendos assentatores.

¶ De asino & lupo. 12

ASINVS *calcato ligni aculeo claudicabat: conspectóq; lupo, ait: O lupe, en præ cruciatu morior, futurus esca, aut tua, aut vulturum, aut coruorum. Vnum modo munus abs te flagito: educ prius ex pede aculeum, vt moriar saltem sine cruciatu. Tunc lupus summis dentibus aculeum mordicus deprehendens eduxit. Asinus verò doloris oblitus, ferratos calces in faciem lupi impegit: fractísque illius fronte, naribus & dentibus, aufugit: lupo seipsum accusante, ac meritò sibi id euenisse dicente, quòd qui didicerat esse lanius iumentorum, nũc eorum volebat esse chirurgus.*

Hæc fabula innuit, quòd qui sua artificia deserunt, transferentes se ad aliena, ipsis non apta, & in derisum veniunt, & in discrimen.

¶ De pastore & mari. 13

PASTOR *in loco maritimo gregem pascebat: qui cùm videret mare tranquillum, incessit cupido nauigationẽ faciendi. Itaque venũdatis ouibus, emptísque palmarũ sarcinis, nauigabat. Orta autem vehementi tempestate, & naui mergi periclitante, omne pondus nauis in mare eiecit, vixque euasit exonerata naui. Paucis pòst diebus, veniente quodam & tranquillitatem maris admirante (erat enim sanè tranquillum) respondens, inquit: Palmas iterum vult quantum intelligo: ideoque immotum sese ostendit.*

Hæc fabula innuit eruditiores fieri homines damno, atque periculo.

¶ De vulpe & leone. 14

VVLPES *nullum antea leonem conspicata, cùm illi aliquando obuiaßet, ita conspectum eius expauit, vt parùm abfuerit quin extingueretur. Quod cùm postea iterum*

terum accidisset: ad conspectũ quidem leonis exterrita est, sed non ita ut prius. Tertiò cùm leonem eundem vidisset in ciuitate, non modo non exterrita, sed confidenter adiens, secum colloquuta est & confabulata.

Hæc fabula innuit, quòd consuetudo & conuersatio facit, vt quę maximé horribilia & formidolosa sunt, neque horrida, neque formidolosa videantur.

¶ De gallis & perdice. 15

GALLOS *quidam domi suæ cùm haberet, mercatus est & perdicem, eamque in societatem gallorum dedit unà cum illis saginandam. Eam verò statim galli, pro se quisque mordebant, abigebantque. Perdix autem apud se affligebatur: existimans, ideo talia sibi à gallis inferri, quòd suum ab illorum genere alienum esset. Vbi verò non multò pòst aspexit & illos inter se pugnantes mutuoque percutientes, recreata à mœrore & tristitia, inquit: Equidem verò posthac ego non affligabor amplius, videns eos etiam inter se dimicantes.*

Hæc fabula innuit, virum prudentem debere æquo animo ferre contumelias ab alienigenis illatas, quos videt ne à domesticorum quidem iniurijs abstinere.

¶ De vulpe & capite quodam. 16

VVLPES *aliquando in domum citharœdi ingressa: dum omnia instrumenta musica, omnem supellectilem scrutaretur: reperit è marmore caput lupinum, scienter fabreque factum. Quod cùm in manus sumpsisset, inquit: O caput cum magno sensu factum, nullum sensum obtinens.*

Hæc fabula ad eos spectat, qui corporis dignitatem habent, animi industriam non habent.

¶ De carbonario & fullone. 17

CARBONARIVS *conducta in domo habitans, inuitauit fullonem, qui eo loci proximè venisset, vt eisdẽ*

in

in ædibus vnà habitarent. Ad quem fullo: O homo, non est mihi istud factu conducibile: Vereor enim ne quicquid ipse candefacerem, id omne tu carbonaria aspergine fuscares.

Fabula hæc innuit, nullum cum flagitiosis habendum esse commercium.

¶ De homine glorioso. 18

VIR *quidam aliquando peregrinatus, cùm iterum domum rediisset: cùm multa ardua in diuersis regionibus à se viriliter gesta iactabundus prædicabat: tum verò illud maximè, quòd Rhodi omnes certamine saliendi superasset: eiusque rei Rhodios, qui affuerunt, testes esse. Ad quem vnus assistentium respondens, inquit: O homo, si verum est quod loqueris, quid tibi opus est testibus? Ecce Rhodus, ecce hic certamen saliendi.*

Hæc fabula innuit, quòd vbi rerum testimonia adsunt, nihil opus est verbis.

¶ De homine & Apolline. 19

QVIDAM *facinorosus Delphos se contulit, Apollinẽ tentaturus, habensque passerculum sub pallio, quem pugno tenebat: Accedensque ad tripodas, interrogabat Deum dicens: Quod habeo in dextera, viuit ne, an mortuum est? Prolaturus passerculum viuum, si mortuum respondisset: rursus prolaturus mortuum, si viuum respondisset: Occidisset enim statim sub pallio, priusquam proferret. At Deus subdolam calliditatem hominis intelligens, dixit: O consultor, vtrum mauis facere (penes te nanque arbitrium est) facito: et siue viuũ, siue mortuum quod in manu habes proferto.*

Fabula hæc innuit mentem diuinam nihil neque latere, neque fallere.

¶ De piscatore & cinaride. 20

Pisca-

PISCATOR *quidam demißis in mare retibus, detulit cinaridem pusilli corporis: quæ piscatorem sic obsecrabat: Noli me in præsentiarum capere pusillam et minutã: sine abire & crescere: vt postea iam adulta, commodo cũ maiore potiaris. Cui piscator: Ego verò amens sim, si lucrum quod inter manus habeo (licet exiguum) prætermittam spe futuri boni quantumlibet magni.*

Hæc fabula innuit stolidũ esse, qui propter spem maioris, rem & præsentam & certam (licet paruam) non amplectitur.

¶ De asino & equo. 21

VIR *quidam habebat equum & asinum. In itinere faciendo, inquit asinus equo: Si me saluum vis, leua me parte oneris mei. Equo illius verbis non obsequente, asinus sub onere cadens, moritur. Tunc dominus iumentorum omnes quas portabat asinus sarcinas, simulque corium, quod à mortuo exuerat, equo imponit. Quo onere depressus equus cum clamore inquit: Væ mihi iumentorum infelicißimo, quid mihi misero euenit? Nam recusans partem, nunc totum onus porto, & illius corium.*

Hæc fabula innuit maiores debere in laboribus participes esse minoribus, vt vtrique incolumes sint.

¶ De homine & satyro. 22

VIR *quidam cũ satyro amicitiam inierat. Qui cùm edendi gratia sederent, exorta cæli tempestate, vir manus ad os admouens, anhelitu refocillabat. Quod intuẽs satyrus: interrogat quam ob rem id faceret. Ille inquit, calore oris algentes manus refocillo. Pauloque pòst, calidiore edulio allato, cùm vir iterum manus ad os admouens, calorem cibi tenui inspiratione refrigerauit, interrogat satyrus, quam ob rem & illud faciat. Respondente autem viro, vt refrigeraret edulium: Atqui ego, inquit satyrus, tecum posthac amicitiam non exer-*

exercebo, qui ex vno ore & calidum promis & frigidum. Vale.

Fabula innuit deuitandam eius amicitiam esse, cuius anceps vita est, & non simplex sermo.

¶ De agricola & canibus. 23

AGRICOLA *quidam hyberno sidere in agro deprehensus, deficientibus cibariјs, primùm interfectis singulis ouibus, illarum carnibus vescebatur, mox & caprarum, postremò operariјs bobus interemptis alebatur. Quod canes dum animaduertissent, inter se colloquuti sunt, dicentes: At nos hinc faciamus fugam. Si enim operariјs bobus dominus non pepercit, nec nobis quidem parcet.*

Hæc fabula innuit fugiendos cauendosque, qui à familiaribus manus non abstinent.

¶ De quodam admorso à cane. 24

ADMORSVS *quidam à cane, circuibat singulos, corrogans curationem: nactusque quendam est, qui cognita mali qualitate inquit: Si quidem tu ô homo conualescere vis, crustam panis madefactam in sanguine vulneris porrige cani, qui te momordit, comedendam. Cui ille deridenter inquit: Ego mehercle, si illud fecero, dignus sum qui ab omnibus huius vrbis canibus præmordear.*

Hæc fabula innuit, improbos homines, cùm maximè beneficia acceperint, tum maximè ad maleficia animari.

¶ De thynno & delphino. 25

THYNNVS *cùm Delphinum insequentem præcipiti cursu fugeret, & iam capiendus esset, in anfractum quendam se intorsit. Delphinus quoque ad alterum similem impetu ipso allisus est. Ad quem Thynnus respiciens, eumque expirantem videns, inquit: Iam mihi mors non erit molesta, videnti eum, qui mihi causa mor*

tis

tis est, mecum morientem.

Hæc fabula innuit, æquo animo ferre homines calamitates, cùm eos per quos in calamitate sunt, calamitosos aspiciunt.

¶ De aucupe. 26

AVCEPS *quidam sumptis aucupatorijs retibus, ad venandum processit, visoque palumbo in cacumine arboris sedente, compositas artificiosè arundines cum retibus ad auem clanculum admouebat, sperans illam se venari posse. Quod cùm agit, in altum intuens, iacentem viperam pedibus pressit: quæ exasperata dolore hominē momordit. At ille iam deficiens: Me miserum inquit, qui cū alterum venari volo, ipse ab altero captus pereo.*

Hæc fabula innuit, quòd æmuli alios arte sua nitentes decipere, sæpe in laqueos, quos tendunt, incidunt.

¶ De castore. 27

CASTOR *præter cæteros quadrupedes, in aqua durare fertur, suaque genitalia ad artem medicam sanè vtilia esse. Hic vbi videt se ab indagantibus hominibus captum iri (nouit enim quamobrem indagetur) ipse sibi genitalia præcîdit, atque in sequentes proijciens, hoc modo incolumis euadit.*

Hæc fabula innuit, huius exemplo prudentes debere pro adipiscenda salute, nullam rationem habere fortunarum.

¶ De vaticinatore. 28

VATICINATOR *quidam in foro sedens sermocinabatur, cùm sibi quidam denuntiat fores domus eius effractas esse, omniaque direpta quæ in domo fuissent. Ad quem nuncium vaticinator gemens, properansque cursu se domum recipiebat. Quem currentem intuens quidam: O tu, inquit, qui aliena negotia te diuinaturū promittis, certè tua ipse non diuinasti.*

Fabula hęc ad eos spectat, qui res suas nō rectè administrantes

ces, alienis, quæ nihil ad eos pertinent, prouidere ac consulere conantur.

¶ De aucupe & merula. 29

AVCEPS *tetenderat volucribus retia: quod eminus intuens merula, percōtabatur hominem quid negotij ageret. Ille respondit se condere vrbem. Abijtque longius, & sese abdidit. Merula verò verbis illius fidem habens, accedens ad escam iuxta retia positam, capta est. Accurrenteq́ue aucupe, inquit: O homo, si tu quidē talem condis vrbem, haud multos inuenies incolas.*

Hæc fabula innuit, eo maximè modo rem priuatam, & publicam destrui, cùm præsides sæuitiam exercent.

¶ De viatore & Ioue. 30

VIATOR *longum ingressurus iter, si quid inuenisset, eius dimidium Ioui se oblaturum promisit. Inuento autem in ipso itinere vase palmarum & amygdalorum pleno, comedit omnes palmulas amygdalaq́ue: sed horū nucleos, illarum putamina ad aram quandam obtulit, inquiens: Iupiter, habes quod tibi voueram: quod enim inueni, eius & interiora & exteriora tibi offero.*

Fabula hæc innuit, auarum hominem cupiditate pecuniæ, etiam dijs moliri fallacias.

¶ De filio & matre. 31

PVER *quidam in schola condiscipuli furatus tabellā alphabetariam, attulit matri suæ. A qua non castigatus quotidie magis furabatur. Procedente autem tempore maiora cepit furari. Tandem à magistratu deprehensus ducebatur ad supplicium: Matre verò sequente ac vociferante, rogauit satellites, vt paulisper cum ea ad aurē loqui permitterent. Quibus annuentibus, & matre festinabunda, aurem ad os filij admouente, ille auriculam maternam dentibus amorsam euulsit. Et cùm mater cæ*

teriq́ue

teriq́ue increparent, non modo vt furem, sed etiam vt in parentem suam impium, inquit: Hæc mihi, vt perderer, extitit causa: si enim me ob tabellam alphabetariam castigasset, nequaquam ad vlteriora progressus, ad supplicium nunc ducerer.

Fabula hæc innuit, quòd qui inter initia peccandi non coërcentur, ad grauiora flagitia euadunt.

¶ De filio & patre. 32

FILIVM *quidam senior habebat generosi animi, & venaticorum canum amatorem. Hunc per quietem viderat à leone trucidari. Territus igitur, ne forte somniũ hoc aliquando sequeretur euentus, extruxit domum quandam politissimam, laquearibus ac fenestris amœnissimam: illucq́ue inducens filium, illi custos inhærebat. Depinxerat enim in ea domo, ad oblectationẽ filij, omne genus animalium, in quibus & leonem. Adolescens hæc inspiciens, eo amplius molestia contrahebat. Quadam autem vice leoni propius stans inquit: O truculentissima fera, te propter, & propter inane somnium patris, in hac domo asseruor velut in carcere. Quid igitur faciam? Et hæc dicens, manum parieti incussit, oculum leoni eruere volens, et in clauo, qui illic latebat, offendit: qua ex percussione manus emarcuit: succreuitq́ sanies, ac febris subsequuta est: breui adulescens est mortuus. Ita leo adulescentem occîdit, nihil adiuuante patris sophismate.*

Hæc fabula innuit, quæ ventura sunt, deuitare posse neminem.

¶ De caluo quodam. 33

CALVVS *quidam mentitos crines gerens, dum equo vehebatur, ecce turbinis ventus illos de capite sustulit: risus statim magni præsentibus excitântur. Et ille mutuo*

tuo risu ad eos inquit, Quid mirum si crines, qui non erant mei, à me recesserint? Illi quoque recesserunt, qui mecum fuerant nati.

Hæc fabula innuit, non debere nos mœrere ob amissas opes. Quod enim nascentes à natura non accepimus, non potest nobiscum perpetuo permanere.

FINIS.

ALIÆ ITEM ALIQVOT ÆSOPI FABVLAE, E GRAECO IN LATINUM versæ, incerto interprete.

Impossibilia promittens. 1

VIR *pauper ægrotans, & malè affectus, cùm à medicis desperatus esset, deos rogabat, pollicens, si sanitatem sibi rursus restituissent, centum boues ipsis oblaturum esse in sacrificium. Vxore autem eius audiète, Et ubi tibi hæc, si conualueris? ille ait, Putas enim surgere me hinc, ut dij hæc à me repetant?*

Fabula significat, multos facilè polliceri, quæ re comprobare non sperent.

Ranæ. 2

RANAE *duæ in palude pascebantur, æstate autem siccata palude, illa derelicta, quærebant aliam: ceterùm profundum inuenerunt puteum: quo uiso, altera alteri inquit, Descendamus, heus tu, in hunc puteum. Illa respondens ait, Si igitur & hîc aqua aruerit, quomodo ascendemus?*

Fabula declarat non oportere inconsideratè res aggredi.

Canis, & gallus. 3

CANIS *& gallus inita societate iter faciebant. Vespera autem superueniente, gallus conscensa arbore, dor*

miebat: at canis ad radicem arboris excauatæ. Cùm gallus, ut assolet, noctu cantasset, vulpes ut audiuit accurrit: & stans inferiùs, ut ad se descẽderet, rogabat, quòd cuperet commendabile adeò cantu animal complecti. Cùm autem is dixisset, ut ianitorem priùs excitaret ad radicem dormientem, ut cùm ille aperuisset, descenderet: & illa quærente ut ipsum vocaret, canis statim prosiliens eam dilacerauit.

Fabula significat, prudentes homines inimicos insultantes ad fortiores astu mittere.

¶ Leo, & vrsus. 4

Leo *& ursus simul magnum nacti hinnulum, de eo pugnabant: grauiter igitur à seipsis affecti, ut ex multa pugna etiam vertigine corriperentur: defatigati iacebant. Vulpes autem circumcirca eundo, ubi prostratos eos vidit, & hinnulum in medio iacentem, hunc per utrosque percurrendo, rapuit, fugiensque abiuit: at illi videbant quidem ipsam, sed quia non poterant surgere, Nos miseros dicebant, quia vulpi laborauimus.*

Fabula significat, alijs laborantibus, alios lucrari.

¶ Vespertilio, & rubus, & mergus. 5

Vespertilio, *& rubus, & mergus inita societate mercatoriam decreuerunt vitam agere. Itaque vespertilio argẽtũ mutuata proiecit in mediũ: rubus vestẽ secum accepit: mergus tertius, æs: & nauigauerunt. Tempestate autem vehementi oborta, & naui euersa, omnibus perditis, ipsi in terram euaserunt. Ex illo igitur mergus litoribus semper assidet, num quopiam æs eyciat mare. Vespertilio verò creditores timens, interdiu non apparet, noctu ad pabulũ exit. Rubus prætereuntiũ vesti inhæret, sicubi suam cognoscat quærendo.*

Fa-

Fabula significat, in ea quibus incumbimus, in posterum recidere.

¶ Pauo & monedula. 6

AVIBVS *creaturis regem, pauo orabat, vt se ob pulchritudinem eligerent. Eligentibus autem eum omnibus, monedula suscepto sermone ait: Sed si te regnante, aquila nos persequi aggressa fuerit, quomodo nobis opem feres?*

Fabula significat, principes non modò propter pulchritudinem, sed & fortitudinem & prudentiam eligi oportere.

¶ Singularis animal, & vulpes. 7

SINGVLARIS *agrestis super quadam sidens arbore dentes acuebat. Vulpe rogante causam, quare nulla præposita necessitate dentes acueret, ait: Non abs re hoc facio: nam si me periculum inuaserit, nequaquam me tũc acuendis dentibus occupatum esse oportebit, sed potius paratis vti.*

Fabula significat, aduersus periculũ præparatũ esse oportere.

¶ Cassita. 8

CASSITA *laqueo capta plorans dicebat: Hei mihi miseræ, & infelici volucri, non aurum surripui cuiusquam, non argentum, non aliud quicquam pretiosum. Granum autem tritici paruum, mortis mihi causa fuit.*

Fabula in eos, qui ob inutile lucrũ, magnũ subeũt periculũ.

¶ Hinnulus. 9

HINNVLVS *aliquando ceruo ait: Pater, tu & maior, & celerior canibus, & cornua præterea ingentia gestas ad vindictam, curnam igitur sic eos times? Et ille ridens ait: Vera quidem hæc inquis, fili: vnum verò scio, quod cùm canis latratum audiuero, statim ad fugã nescio quomodo efferor.*

Fabula significat natura timidos, nulla admonitione fortificari.

¶ Auarus. 10

AVARVS *quidam cùm omnia sua bona vendidisset, & auream glebam fecisset, in loco quodam infodit, vnà defosso illic & animo suo, & mente: atque quotidie eũdo, ipsam videbat. Id autem ex operis quadam obseruando cognouit, & refossam glebam abstulit. Post hæc & ille profectus, & vacuum locum videns, lugere cœpit, & capillos euellere. Hunc cùm quidam vidisset sic plorantem, et causam audiuisset, Ne sic, ait, ô tu, tristare: neque enim habens aurum habebas: lapidem igitur pro auro acceptum, reconde, & puta tibi aurum esse, eundem enim tibi vsum præstabit: nam, vt video, neq; cùm aurum erat vtebare.*

Fabula significat, nihil esse possesionem, nisi vsus adfuerit.

¶ Anseres, & grues. 11

ANSERES, *& grues in eodem prato pascebantur. Venatoribus autem visis, grues, quòd essent leues, statim euolauerunt, anseres verò ob onus corporum cùm mansissent, capti fuerunt.*

Fabula significat, & in expugnatione vrbis, inopes facilè fugere, diuites autem seruire captos.

¶ Testudo, & aquila. 12

TESTVDO *orabat aquilam, vt se volare doceret. Ea autẽ admonente procul hoc à natura ipsius esse, illa magis precibus instabat. Accepit igitur ipsam vnguibus, & in altum sustulit: inde demisit: hæc autem in petras cecidit, & contrita est.*

Fabula significat, multos quia in contentionibus prudentiores non audiuerint, seipsos læsisse.

¶ Ceruа. 13

CERVA *altero obcæcata oculo, in litore pascebatur, sanum oculum ad terram propter venatores habens, alterum*

rum verò ad mare, vnde nihil suspicabatur. Prænauigantes autem quidam, & hoc coniectantes, ipsam sagittarunt: hæc autem seipsam lugebat, quòd vnde timuerat, nihil passa foret: quod non putabat malum allaturum, ab eo proditam.

Fabula significat, sæpe quæ nobis noxia videntur, vtilia fieri: quæ verò vtilia, noxia.

¶ Ceruа, & leo. 14

CERVA *venatores fugiens, in speluncam ingressa est. In leonem autem ibi cùm incidisset, ab eo comprehensa est. Moriẽs autem dicebat: Hei mihi, homines fugiens, in ferarum immitissimum incidi.*

Fabula significat, multos homines dum parua fugiunt pericula, in magna incurrere.

¶ Cerua & vitis. 15

CERVA *venatores fugiens sub vite delituit. Cùm præterissent autem parumper illi, cerua prorsus iam latere arbitrata, vitis folia pasci incœpit. Illis verò agitatis, venatores conuersi, & quòd erat verum arbitrati, animal aliquod sub folijs occultari, sagittis confecerunt ceruam. Hæc autem moriens talia dicebat: Iusta passa sum, non enim offendere oportebat, quæ me seruarat.*

Fab. signif. qui iniuria benefactores afficiũt, à Deo puniri.

¶ Asinus, & leo. 16

CVM *asino gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamauit, & leo (aiunt enim hunc galli vocem timere) fugit. At asinus ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem. Vt verò procul hunc persecutus est, quò non amplius galli perueniebat vox, conuersus leo deuorauit. Hic verò moriens clamabat: Me miserum & dementem: ex pugnacibus enim non natus parentibus, cuius gratia in aciem irrui?*

Fabula significat, plerosque homines inimicos, qui se de industria humiliarũt, aggredi, atque ita ab illis occidi.

¶ Olitor, & canis. 17

OLITORIS *canis in puteum decidit: olitor autem ipsum illinc extracturus, descendit & ipse in puteum. Ratus autem canis accessisse ut se inferiùs magis obrueret, conuersus olitorem momordit. Hic autem cum dolore reuersus: Iusta, inquit, patior: nam cur unquam sui interfectorem seruare studui?*

Fabula in iniustos, & ingratos.

¶ Sus, & canis. 18

SUS *& canis mutuò conuiciabantur. Et sus iurabat per Venerem, procul dubio dentibus discissurum canem. Canis verò ad hæc dissimulanter dixit: Bene per Venerem nobis iuras: significas enim ab ipsa vehementer te amari, quæ impuras tuas carnes degustantem nullo pacto in sacellum admittit. Et sus: Propter hoc igitur magis præ se fert dea amare me: nam occidentem aut alio quouis modo lædentem omnino auersatur: tu tamen malè oles, & viua & mortua.*

Fabula significat, prudentes oratores, quæ ab inimicis obijciuntur, artificiosè in laudem conuertere.

¶ Sus, & canis. 19

SUS *& canis de fœcunditate certabant. Dixit autem canis fœcundam esse maximè pedestrium omnium. Et sus occurrens ad hæc inquit: Sed cùm hæc dicis, scito & cæcos tuos te catulos parere.*

Fabula signif. non in celeritate res, sed in perfectiõe iudicari.

¶ Serpens, & cancer. 20

SERPENS *unà cum cancro viuebat, inita cùm eo societate. Itaque cancer simplex moribus, ut & ille astutiam mutaret, admonebat: hic autem minimè obediebat,*

bat. Cùm obseruasset igitur cancer ipsum dormientem, & pro viribus compreßisset, occîdit. At serpente post mortem extenso, ille ait: Sic oportebat ante hac rectum & simplicem esse: neque enim hanc pœnam dedisses.

Fabula signif. qui cũ dolo amicos adeũt, ipsos offendi potius.

¶ Pastor, & lupus. 21

PASTOR *nuper natũ lupi catulũ reperit, ac sustulit, vnaq; cũ canibus nutriuit. At cùm adoleuisset, si quando lupus ouem rapuisset, cum canibus & ipse persequebatur. Cùm canes verò aliquando non possent assequi lupum, atque ideo reuerterentur, ille sequebatur, vt cùm ipsum assecutus esset, particeps foret venationis vt lupus: inde redibat. Sin autem lupus extrà non rapuisset ouem, ipse clàm occîdens, vnà cum canibus comedebat: donec pastor cùm coniectasset, & intellexisset rem, de arbore ipsum suspendit, & occîdit.*

Fabula significat, naturam prauã bonos mores non nutrire.

¶ Leo, & lupus. 22

LEO *cùm consenuisset, ægrotabat iacens in antro. Accesserant autem visitatura regem, præter vulpem, cætera animalia. Lupus igitur capta occasione accusabat apud leonem vulpem, quasi nihili facientem suũ omniũ dominum, & propterea neque ad visitationem profectam. Interim affuit & vulpes, & vltima audiuit lupi verba: Leo igitur contra eam infremuit. Sed defensionis tempore petito: Et quis, inquit, eorum, qui conuenerunt, tantùm profuit, quantùm ego, quæ in omnem partem circuiui, & medicamentum pro te à medico quæsiui, & didici? Cùm autem leo statim vt medicamentum diceret, imperasset, illa inquit: Si lupo viuente excoriato, ipsius calidam pellem indueris. Et lupo ia-*

cente vulpes ridens ait: Sic non oportet dominum ad maleuolentiam mouere, sed ad beneuolentiam.

Fabula significat, eum qui quotidie machinatur, in seipsum laqueum vertere.

¶ Mulier. 23

MVLIER *quædam virum ebrium habebat: ipsum autem à morbo liberatura, tale quid commenta est. Aggrauatum enim ipsum ab ebrietate cùm obseruasset, & mortui instar insensatum, in humeros eleuatum, in sepulcretum allatum deposuit, & abiuit. Cùm verò ipsum iam sobrium esse coniectata est, profecta ianuam pulsauit sepulcreti. Ille autem cùm diceret: Quis est qui pulsat ianuam? Vxor respondit: Mortuis cibaria ferens ego adsum. Et ille: Non mihi comesse, sed bibere ô optime potius affer: tristem enim me reddis, cùm cibi non potus meministi. Hæc autem pectus plãgendo: Hei mihi miseræ, inquit: nam neque astu profui: tu enim vir non solùm non emendatus es, sed peior quoque teipso euasisti. in habitum tibi deductus est morbus.*

Fabula significat, non oportere in malis actibus immorari: nã & nolentem qnandoque hominem consuetudo inuadit.

¶ Cycnus. 24

VIR *diues anserem simul, & cycnum nutriebat, non ad eadem tamen, sed alterũ cantus, alterum mensæ gratia. Cùm autem oportere anserem pati ea, quorum causa nutriebatur, nox erat, ac discernere tempus non permisit vtrunque: cycnus autem pro ansere abductus, cantat cantum quendam mortis exordium: & cantu significat naturam, mortem verò effugit suauitate canendi.*

Fabula significat, sæpe musicen differre mortem.

¶ Aethiops. 25

AETHIOPEM *quidam emit, talem ei colorem inesse ra-*

ratus negligentia eius, qui prius habuit: ac assumpto in domum, omnes ei adhibuit abstersiones, omnibus lauacris tentauit mundare: & colorem quidem transmutare non potuit, sed morbum dolorem parauit.

Fabula significat, manere naturas, vt à principio prouenerũt.

¶ Hirundo, & cornix. 26

HIRVNDO *& cornix de pulchritudine contendebant. Respondens autem cornix ei dixit: Sed tua pulchritudo verno tempore floret, meum verò corpus etiam hyeme durat.*

Fabulá significat durationẽ corporis, decore meliorem esse.

¶ Butalis. 27

BVTALIS *à fenestra quadã pendebat. Vespertilio autem profecta rogauit causam, quare die sileret, nocte caneret. Cùm autem id ea non incassum hoc facere dixisset (nã die canendo olim capta fuerat, & propterea ex illo prudens euasit) vespertilio ait: Sed non nunc te cauere oportet, cùm nulla vtilitas, sed ante quàm capereris.*

Fabula significat, in infortunijs inutilem esse pœnitentiam.

¶ Cochleæ. 28

RVSTICI *filius assabat cochleas. Cùm autem audiret eas stridentes, ait: O pessimæ animãtes, domibus vestris incensis vos canitis?*

Fabula significat, omne intempestiuè factum, vituperabile.

¶ Mulier, & ancillæ. 29

MVLIER *vidua operosa ancillas habens, has solebat noctu excitare ad opera ad gallorum cantus. His verò assiduè defatigatis labore, visum est oportere domesticũ occidere gallum, tanquam illum qui noctu excitaret heram. Euenit autem ipsis, hoc facto, vt in grauiora inciderent mala: nam, hera ignorans gallorum horam, tempernis eas excitabat.*

Fa-

Fabula signif. plerisq; hominibus cōsilia esse malorū causas.

¶ Mulier venefica. 30

MVLIER venefica diuinarum irarum propulsiones promittens, multa facere perseuerabat, & lucrum inde facere. Quidam igitur accusauerunt eam impietatis, et conuicerunt, & damnatam ducebant ad mortem. Videns autem quidam eam duci, ait: Tu quæ deorum iras auertere promittebas, quomodo neque hominum consilium mutare potuisti?

Fabula significat, multos magna promittētes, ne parua quidem facere posse.

¶ Agricola. 31

AGRICOLA quidam fodiendo aurum reperit: quotidie igitur terram, ut ab ea beneficio affectus, coronabat. Huic autem Fortuna adstans inquit: Heus tu, cur terræ mea munera attribuis, quæ ego tibi dedi ditatura te? nam si tempus immutetur, & in alias manus hoc tuū aurū eat, scio te nunc me Fortunam accusaturum.

Fabula significat, oportere benefactorem cognoscere, atque huic gratiam referre.

¶ Viatores. 32

DVO quidam unà iter faciebant: & cùm alter securim reperisset, alter, qui non inuenit, admonebat ipsum ne diceret inueni, sed inuenimus. Paulò pòst autem cū aggrederentur ipsos, qui securim perdiderant, qui eam habebat, persequentibus illis, ei qui unà iter faciebat, dixit: Periimus. Hic autem ait: perij dic: non perijmus: etenim & tunc, cùm securim inuenisti, inueni dixisti, non, inuenimus.

Fabula significat, qui non fuerunt participes felicitatum, neque in calamitatibus firmos esse amicos.

¶ Ranæ duæ. 33

Duæ

DVÆ ranæ vicinæ sibi erant: pascebantur autem altera in profundo stagno, & procul à via: altera in via parum aquæ habens. Verùm, cùm quæ in stagno, alteram admoneret, vt ad se migraret, vt tutiore cibo frueretur, illa non paruit, dicens firmissima teneri huiusce loci consuetudine: quousque obtigit currum prætereuntem ipsam confringere.

Fabula significat, homines quoque praua aggrediẽtes citius mori, quàm mutentur in melius.

¶ Apiarius. 34

IN mellarium ingressus quidam domino absente, fauũ abstulit. Hic autem reuersus, vt alueolos vidit inanes, stans quod in his erat perscrutabatur. Apes autem è pastu redeuntes, vt deprehenderunt ipsum, aculeis percutiebant, pessimeque tractabant. Hic autem ad eas: O pessimæ animantes, furatum vestros fauos illæsum dimisistis, me verò satagentem vestri percutitis?

Fabula significat, sic homines quosdam ob ignorantiam inimicos nõ cauere, amicos autem vt insidiatores repellere.

¶ Alcedo. 35

ALCEDO auis est solitaria, semper in mari vitam degens: hanc dicitur hominum venationes cauentem, in scopulis maritimis nidificare. Cæterùm aliquando paritura, pullos fecit. Egressa autem ea ad pabulum, accidit mare à vehementi concitatum vento, eleuari supra nidum: atque hoc submerso, pullos perdere: hæc verò reuersa, re cognita, ait: Me miserã, quæ terrã vt insidiatricẽ cauens ad hoc confugi, quod mihi lõgè est infidius.

Fabula significat homines etiã quosdam ab inimicis cauendo, ignaros in multo grauiores inimicis amicos incidere.

¶ Piscator. 36

PISCATOR in fluuio quodam piscabatur. Extensis autem

autem retibus, & fluxu comprehenso Vtrinque, funi alligato lapide, aquam Verberabat, Vt pisces fugientes incautè in retia inciderent. Cùm quidam Verò ex ijs, qui circa locum habitabant, id facere Videret, increpabat, quod fluuiũ turbaret, & claram aquam non sineret bibere: et ijs respondit: Sed nisi sic fluuius perturbetur, me oportebit esurientem mori.

Fabula significat, ciuitatum etiam rectores tunc maximè operari, cum patrias in seditionem induxerint.

¶ Simius, & delphis. 37

MORIS *cum esset nauigantibus Melitenses catulos, et simios adducere in solamẽ nauigationis, quidã habebat secum & simium. Cùm autem peruenissent ad Suniũ Atticæ promontorium, tempestatem Vehementem fieri contigit: naui autem euersa, & omnibus natantibus, natabat & simius. Delphis quispiã ipsũ conspicatus, & hominem esse ratus, digressus leuabat, ad terram perferens. Vt Verò in Piræo fuit Atheniensiũ nauali rogauit simium, an genere esset Atheniensis. Cùm autem hic diceret & clarus hìc esse parentibus: rogauit an & Piræũ sciret. Ratus autem simius de homine eum dicere, ait: & Valde amicum esse ei, & familiarem. At Delphis tanto mendacio indignatus, submergens ipsum occidit.*

Fabula in viros, qui veritatẽ ignorãtes, existimãt se decipere.

¶ Muscæ. 38

IN *cella quadam melle effuso, muscæ aduolantes comedebant: implicitis autem earum pedibus, euolare non poterant: cùm Verò suffocarentur, dicebant: Miseræ nos, quia ob modicum cibum perimus.*

Fabula significat, multis gulã multorũ malorũ esse causam.

¶ Mercurius & statuarius. 39

MERCVRIVS *scire Volens, quanti apud homines*

esset

esset, iuit in statuarij domum transformatus in hominẽ, & visa statua Iouis, rogabat, quanti quis ipsam emere posset. Hic autem cùm dixisset, drachma, risit. Et quanti Iunonis? ait: Cum dixisset pluris: visa & sua ipsius statua, ac opinatus cùm nuntius sit deorũ, & lucrosus, maximã de se apud homines haberi rationem, rogauit de se. Statuarius verò ait: Si hasce emeris, & hanc additamentum do.

Fabula in virũ gloriosum, qui nullius apud alios est pretij.

¶ Mercurius, & Tiresias 40

MERCVRIVS *volens Tiresiæ vaticinium, an verũ esset cognoscere, furatus ipsius boues ex rure venit ad ipsum in vrbe, similis factus homini, & ad ipsum diuertit. Boũ autem amißione renunciata Tiresiæ, ille assumpto Mercurio exiuit, auguriũ aliquod de fure cõsideraturus. Et huic iubet dicere sibi quamnã auem viderit. Mercurius autẽ primũ vidisse aquilã à sinistris ad dextrã volãtem, dixit. Hic non ad se id esse cũ dixisset, secundò cornicem super arbore quadã sedentem vidit, & modò superiùs aspicientẽ, modò ad terrã declinatam, vati refert. Et is re cognita ait: Sed hæc cornix iurat & cælum, & terram, si tu velis, meas me recepturum boues.*

Hoc sermone vti quispiam poterit aduersus virum furacem.

¶ Canes. 41

HABENS *quidam duos canes, alterum venari docuit, alterum domum seruare. Cæterùm si quãdo venaticus caperet aliquid, qui domum custodiebat, particeps vnà cũ eo erat cœnæ. Ægrè ferente autẽ venatico, & illi obijciente, quòd ipse quotidie laboraret, ille nihil faciens suis nutriretur laboribus, respondens ipse ait: Non me, sed herum reprehende, qui non laborare me do-*

docuit, sed labores alienos comesse.

Fabula significat, adolescentes qui nihil sciunt, haud esse reprehendendos, cùm eos parentes sic educauerunt.

¶ Maritus, & vxor. 42

HABENS *quidam vxorem, quæ domesticis omnibus inimica erat, voluit scire an etiam erga paternos domesticos ita afficeretur. Quapropter cum rationabili prætextu ad suum patrem ipsam misit. Paucis verò pòst diebus ea reuersa, rogauit quomodo aduersus illos habuisset. Hæc verò cùm dixisset: Bubulci & pastores me suspectabant: ad eam ait: Sed ô vxor, si eos odisti, qui manè greges agunt, serò autem redeũt, quid spectare oportet in ijs, quibus cum tota conuersaris die?*

Fabula significat, sic sæpe ex paruis magna, & ex manifestis incerta cognosci.

¶ Hœdus, & lupus. 43

HOEDVS *derelictus à grege, persequente lupo, conuersus ad eum dixit: O lupe, quoniam credo me tuum cibũ futurum, ne iniucundè moriar, cane tibia primùm, vt saltem. Lupo autem canente tibia, atque hœdo saltante, canes cùm audiuissent, lupum persecuti sunt. Hic conuersus hœdo inquit: Meritò hæc mihi fiunt: oportebat enim me cocus cùm sim, tibicinem non agere.*

Fabula significat, qui ea quibus natura apti sunt, negligunt, quę verò aliorũ sunt, exercere conantur, in infortunia incidere.

¶ Cancer, & vulpes. 44

CANCER *è mari cùm ascendisset, in loco quodam pascebatur. Vulpes esuriens vt vidit, accessit, ac eum rapuit. Ille deuorandus ait: Sed ego condigna patior, qui marinus cùm sim, terrestris esse volui.*

Fabula significat, homines, etiam qui proprijs derelictis exercitijs, ea quæ nihil conueniũt, aggrediuntur, meritò infortunatos esse.

Ci-

¶ Citharœdus. 45

CITHAROEDVS *rudis in domo calce incrustata familiariter, ut solebat, canens, & contra resonante in se voce, existimabat valde canorus esse: verùm elatus super hoc, cogitauit & in theatro sese committere oportere. Profectus verò ad se ostendendum, cùm male admodum caneret, lapidibus ipsum explosum abigerunt.*

Fabula significat sic ex rhetoribus quosdam, qui in scholis putant esse aliquid, cum ad res publicas se conferunt, nullius pretij esse.

¶ Fures. 46

FVRES *in domum quandam ingressi, nihil inuenerunt nisi gallum, atque hoc capto, abierunt. Hic ab eis occidendus rogabat, vt se dimitterent, dicens vtilem esse hominibus noctu eos ad opera excitando. Hi verò dixerunt: Sed propter hoc tantò magis occidimus: illos enim excitando, furari nos non sinis.*

Fabula significat, ea maximè prauis esse aduersa, quæ bonis sunt beneficio.

¶ Cornix, & coruus. 47

CORNIX *coruo inuidens, quòd is per auguria hominibus vaticinaretur, ob idq́; crederetur vti futura prædicens, conspicata viatores quosdam prætereuntes, iuit sic per arborem quandam, stansq́ue valde crocitauit. Illis verò ad vocem conuersis & admiratis, re cognita, quidam inquit: Abeamus heus nos, cornix enim est, quæ crocitauit, & tugurium non habet.*

Fabula significat, eodem modo & homines præstantioribus certantes, præterquàm quòd non ad æqua perueniunt, risu quoque dignos esse.

¶ Cornix, & canis. 48

CORNIX *Mineruæ sacrificans canem inuitauit ad epulas. Ille verò ad eam dixit: Quid frustra sacrificia absu-*

absumis? Dea enim adeo te odit, ut ex peculiaribus quoque tibi augurijs fidem sustulerit. Cui cornix: Ob id magis ei sacrifico, ut reconcilietur mihi.

Fabula significat plerosque ob lucrum non mereri inimicos beneficijs prosequi.

¶ Coruus, & serpens. 49

CORVVS *cibi indigens, ut serpentem in aprico quodam loco dormientem vidit, hunc deuolãdo rapuit. Hic cùm se vertisset, atque momordisset ipsum, coruus moriturus dixit: Me miserum, qui tale reperi lucrum, quo etiam pereo.*

Fabula in virum, qui ob thesaurorum inuentionem de salute periclitatur.

¶ Monedula, & columbæ. 50

MONEDVLA *in columbario quodam columbis visis bene nutritis, dealbauit sese, iuitque, ut & ipsa eodem cibo impertiretur. Hæ verò, donec tacebat, ratæ eam esse columbam, admiserunt: sed cum aliquando oblita vocem emisisset, tũc eius cognita natura, expulerunt percutiẽdo: eaq́ priuata eo cibo, redijt ad monedulas rursum: & illæ ob colorem, cùm ipsam non nossent, à suo cibo abegerunt, ut duorum appetens, neutro potiretur.*

Fabula significat, oportere & nos nostris contentos esse, considerantes auaritiam præterquàm quòd nihil iuuat, auferre sæpe & quæ adsunt bona.

¶ Monedula. 51

MONEDVLAM *cùm quis cepisset, & pedem alligasset filo, suo tradidit filio. Hæc non ferendo victũ inter homines, ubi parumper libertatem nacta est, fugit, in suumq́ue nidum se contulit. Circumuoluto verò ramis, vinculo euolare haud valens, cum moritura esset secum loquebatur: Me miseram, quæ apud homines non ferendo ser-*

do seruitutem, incautè mea me vita priuaui.

Fabula significat, nonnunquam quosdam, dum se à mediocribus student periculis liberare, in maiora incidere.

¶ Mercurius. 52

IVPITER *Mercurio iussit, vt artificibus omnibus mendacij medicamentum misceret: hic eo trito, & ad mensuram facto, ex æquo singulis miscet. Cùm verò solo relicto sutore, multum superesset medicamenti, totum acceptum mortarium ei miscuit: atque hinc contigit artifices omnes mentiri, maximè verò omnium sutores.*

Fabula in mendaces artifices.

¶ Iupiter. 53

IVPITER *formatis hominibus, omneis illis affectus indidit, solum indere pudorem oblitus est. Quapropter non habens vndenam ipsum introduceret, per turbam ingredi eum iussit. Hic verò primùm indignè ferens contradicebat: vehementiùs verò eo instante ait: sed ego sanè his ingredior pactis, si amor non ingrediatur: sin ingrediatur, ipse exibo quàm primùm. Ex hoc sanè euenit, omnia scorta inuerecunda esse.*

Fabula significat, captos amore inuerecundos esse.

¶ Iupiter. 54

IVPITER *nuptias celebrans, omnia animalia accipiebat: sola verò testudine tardè profecta, admirans causam tarditatis, rogauit eam, quamobrem ipsa ad cœnam non accessisset. Cùm hæc dixisset: domus chara, domus optima: iratus ipsi, dãnauit vt domũ baiulãs circũferret.*

Fabula significat, plerosque homines eligere parcè potius apud se viuere, quàm apud alios lautè.

¶ Lupus, & ouis. 55

LVPVS *à canibus morsus, & malè affectus, abiectus iacebat. Cibi verò indigens, visa oue, rogabat vt potum*

ex præterfluẽte flumine sibi adferret: Si enim tu mihi, inquit, dederis potum, ego cibum mihi ipsi inueniam. Illa re cognita ait: Sed si ego potum do tibi, tu & cibo me vteris.

Fabula in virum maleficũ, per simulationem insidiantem.

¶ Lepores. 56

LEPORES *olim belligerantes cũ aquilis inuocarunt in auxiliũ vulpes. Hæ autẽ dixerũt: Vobis auxiliaremur, nisi sciremus qui vos estis, & cum quibus præliamini.*

Fabula significat, eos, qui cum præstantioribus certant, suam salutem contemnere.

¶ Formica. 57

QVAE *nunc formica, homo olim fuit, hic agriculturæ assiduè incũbens, non erat proprijs laboribus contentus, sed et vicinorum fructus surripiebat. Iupiter autem indignatus huius auaritiæ, transmutauit eum in hoc animal, quæ formica appellatur. Verùm cũ mutasset formã, non & affectum mutauit: nam vsque nunc arua circũeundo, aliorum labores surripit, & sibi recondit.*

Fabula significat natura prauos, etsi maximè speciem transmutauerint, mores non mutare.

¶ Vespertilio, & mustela. 58

VESPERTILIO *in terrã cùm cecidisset, à mustela capta est: & cùm occidenda foret, pro salute rogabat. Hac verò dicente non posse ipsam dimittere, quòd natura volucribus omnibus inimica foret: ait non auem, sed murẽ esse: & sic dimissa est. Postremò autem cùm iterũ cecidisset, & ab alia capta mustela, ne voraretur orabat. Hac autem dicente, cũctis inimicam esse muribus: hæc nõ mus, sed vespertilio sum dicebat: et rursus dimissa est: atq; ita euenit bis mutato nomine, salutẽ cõsecutã fuisse.*

Fabula significat, neque nos in eisdem semper esse oportere, con-

considerantes eos, qui ad tempus mutantur, plerunque pericula effugere.

¶ Viatores. 59

VIATORES *secundũ littus quoddam iter facientes, iuerũt in ſpeculã quandã, & illic conſpicati ſarmenta procul natantia, nauim eſſe magnã exiſtimarũt,: quãobrem expectarunt, tanquam appulſura ea eſſet. Cùm verò à vento lata ſarmenta propiùs forent, nõ nauim amplius, ſed ſcapham videre videbantur. Aduectis autem illis, cùm ſarmenta eſſe vidiſſent, inter ſe dixerunt: Vt nos igitur fruſtra, quod nihil eſt, expectabamus?*

Fabula ſignificat, nonnullos homines, qui ex improuiſo terribiles eſſe videntur, cùm periculum feceris, nullius eſſe pretij inueniri.

¶ Aſinus ſylueſtris. 60

ASINVS *ſylueſtris aſino viſo domeſtico in loco quodã aprico, profectus ad ipſum, beatum dicebat, & corporis habitudine, & cibi perceptione. Deinde verò cùm vidiſſet eum ferentem onera, & agaſonem retro ſequentem, & baculis ipſum percutientem, ait: Aſt ego non amplius beatum te exiſtimabo: video enim non ſine magnis malis habere te felicitatem.*

Fabula ſignificat, non eſſe æmulanda lucra, in quibus inſunt pericula, & miſeriæ.

¶ Aſini. 61

ASINI *olim propterea quòd aſſiduè onera ferrent, & fatigarentur, legatos miſerunt ad Iouem, ſolutionum laborum petentes. Hic autem oſtendere ipſis volens, id nõ fieri, ait, tunc eos liberatum iri laboribus, cum mingendo fluuium fecerint. Ac illi eum verum dicere exiſtimantes, ex illo & nunc vſque, vbi aliorum vrinam viderint aſinorum, illic & ipſi circunſtando mingunt.*

Fabula ſignificat, vnicuique quod fatale eſt, incurabile eſſe.

¶ Asinus, & vulpes. 62

ASINVS *inductus pelle leonis vagabatur, reliqua bruta perterrendo. Caeterùm visa vulpe, tentauit & hanc perterrefacere. Haec autē (casu enim ipsius vocem audiuerat) ad ipsum ait: Compertum habeto quòd & ego timuissem, nisi rudentem audiuissem.*

Fabula significat, nonnullos inductos, qui ijs, qui extrà sunt, aliqui esse videntur, ex sua linguacitate redargui.

¶ Asinus, & ranæ. 63

ASINVS *ligna ferens, pertransibat paludem quandam. Lapsus autem, vt decidit, nec surgere posset, lamētabatur, ac suspirabat. Ranae autem quae erant in palude auditis suspirijs: Heus tu, dixerunt, & quid faceres, si tanto hic tempore, quanto nos fuisses, cùm quia paululū cecidisti, sic lamenteris?*

Hoc sermone vti quispiā poterit in virū segnem, qui ob minimos quosq; labores tristatur, cū ipse maiorib⁹ facilè resistat.

¶ Asinus, & coruus. 64

ASINVS *vlcerato dorso in prato quodam pascebatur. Coruo autē insidente sibi, & vlcus percutiendo, asinus rudebat, ac saltabat: sed agasone procul stāte, ac ridente, lupus praeteriens, ipsū vidit, & dixit: Miseri nos, quos si tantū viderit persequitur, huic autem & arridet.*

Fab. significat, maleficos homines, si tātū appareāt, dignosci.

¶ Asinus, & vulpes. 65

ASINVS *& vulpes inita inter se societate, exiuerunt ad venationem: Leo verò cū occurrisset ipsis, vulpes imminens periculum videns, profecta ad leonem, tradituram ei asinum pollicita est, si sibi impunitatem promiserit. Qui cùm dimissurum eam dixisset, illa adducto asino in casses quosdam vt incideret, fecit. Sed leo videns illum fugere minimè posse, primam vulpem comprehendit:*

dit: deinde, sic ad asinum versus est.

Fabula significat, eos, qui socijs insidiantur, sæpe & seipsos nescios perdere.

¶ Gallina, & hirundo. 66

GALLINA *serpentis ouis inuetis diligenter calefacta excludit. Hirundo autem cùm eam vidisset, ait: O demens, quid hæc nutris? quæ cùm excreuerint, à te prima iniuriam auspicabuntur.*

Fabula significat, implacabilem esse prauitatem, licet afficiatur maximis beneficijs.

¶ Camelus. 67

CVM *primùm visa est camelus, homines perterriti, et magnitudinem admirati fugiebant. Vbi verò procedente tempore cognouerunt ipsius mansuetudinem, confisi sunt eò vsque, vt ad eam accederent. At intellecto paulò pòst beluæ non inesse bilem, eò contemptius iere, vt et fræna ei imponerent, & pueris agendam traderent.*

Fabula signif. terribiles res consuetudine contẽptibiles fieri.

¶ Serpens. 68

SERPENS *à multis hominibus pessundatus, Iouem postulauit. Iupiter autem ad eum dixit: Si qui prior conculcauit, pupugisses, nequaquam id facere secundus aggressus fuisset.*

Fabula significat, eos qui prius inuadentibus resistunt, alijs formidolosos fieri.

¶ Columba. 69

COLVMBA *siti corrptae, vt vidit quodam in loco poculum aquæ depictum, verum rata, atque multo elata impetu, inscia in tabulam offendit, vsqueadeo vt & pennis ipsius perfractis in terram decideret, atque à quodã occurrentium caperetur.*

Fabula significat, nonnullos homines ob vehementes alacritates inconsultò res aggredientes, inijcere sese in perniciem.

¶ Columba, & cornix. 70

COLVMBA *in columbario quodam nutrita, fœcunditate superbiebat. Cornix verò ea audita ait: Heus tu, desine hac re gloriari: nam quò plures paris, eò plus mœroris accumulas.*

Fabula significat, ex famulis quoque, eos esse infelicissimos, qui in seruitute multos filios faciunt.

¶ Diues. 71

DIVES *duas habens filias, altera mortua præficas conduxit. Cũ verò altera filia dixisset: Vt nos miseræ, ipsæ, ad quas pertinet luctus, lamentari nescimus: hæ verò nõ necessariæ sic vehementer plangũt. mater ait: Ne mirare filia, si hæ ita lamentãtur, nã nũmorũ gratia id agũt.*

Fabula significat, nonnullos homines ob auaritiam non vereri alienis calamitatibus quæstum facere.

¶ Pastor. 72

PASTOR *actis in quercetum quoddam ouibus, strata sub quercu veste, ascendit, & fructum decutiebat. Oues verò inter edendũ glandes, nescia & vestes vnà deuorarunt. At cũ pastor descendisset, vt quod erat actũ, vidit: O pessima, ait, animalia, vos cæteris vellera ac vestes præbetis, à me verò, qui vos nutrio, et vestẽ surripitis.*

Fabula significat, plerosq; homines ob dementiã eos qui nihil attinent, beneficio afficere, in domesticos mala operari.

¶ Bubulcus. 73

BVBVLCVS *armẽtum taurorum pascens, amisit vitulum, lustrando omnem solitudinem, indagando morã traxit. Vbi inuenire nihil potuit, precatus est Iouem, si furem qui vitulum cepit, ostenderit, hœdum in sacrificium oblaturũ. Cæterùm proficiscens in quercetũ quoddam, inuenit à leone deuorari vitulum. Trepidus igitur & perterrefactus, eleuatis manibus suis in cœlum, ait:*

O do-

o domine Iupiter, promiseram tibi hædum me daturũ esse, si furem inuenirem: nũc taurum tibi recipio sacrificaturum, si huius manus effugero.

Fabula in homines infortunatos, qui dum quippiam amiserint, precantur vt inueniant, cũ inuenerint, quærunt effugere.

¶ Aquila. 74

SVPER *petra aquila sedebat leporem captura: hanc autem quidam percußit sagitta, quæ intra ipsam ingressa est, sed crena cum pennis ante oculos stabat: quam cũ vidisset: Et hoc mihi altera mæstitia, quòd proprijs pennis intereã.*

Fabula significat, durũ esse, cùm quis à suis periculis patiatur.

¶ Vermis, & vulpes. 75

QVI *sub cœno celabatur vermis, super terrã egressus dicebat omnibus animalibus: Medicus sum medicaminũ doctus, qualis est Pæon deorum medicus. Et quomodo, at vulpes, alios curans, teipsum claudũ non curas?*

Fabula significat, nisi prestò experientia fuerit, omne verbum inane esse.

¶ Gallina auripara. 76

GALLINAM *quis habens oua aurea parientem, ratus intra ipsam auri massam inesse, occisam alijs Gallinis similem reperit. Hic multum sperans inuenire diuitiarum, et exiguis illis priuatus est.*

Fabula significat, oportere contentum esse præsentibus, & fugere inexplebilitatem.

¶ Lupus, & vetula. 77

LVPVS *esuriens circuibat quærendo cibum. Profectus autem ad locum quendam, audiuit lugentem puerulũ, eique dicentem anum: Desine plorare: sin minus, hac hora tradam te lupo. Ratus igitur lupus seriò loqui aniculam, expectabat ad multã horã. Sed cũ aduenisset vespe-*

ra, audit rursus anũ blãdientẽ puerulo, ac dicentẽ: Si venerit lupus huc, interficiemus eũ fili. His auditis lupus eũdo dicebat: In hoc tugurio aliud dicũt, aliud faciunt.

Fabula in homines, quorum facta verbis non respondent.

¶ De culice, & leone. 78

CVLEX *ad leonem accedens, ait: Neque timeo te, neq; fortior me es: minus mihi adesse viriũ ideo existima, quòd laceres vnguibus, & dentibus mordeas? hoc & fœmina cum viro pugnans facit. Ego verò longè sum te fortior. Si verò vis, veniamus ad pugnam. Et cùm tuba cecinisset, culex inhæsit mordẽs circa nares ipsius laeuis genas: leo autem proprijs vnguibus dilaniauit se ipsum, donec indignatus est. Culex autem victo leone cùm sonuisset tuba, & epinicium cecinisset, euolauit. Aranea verò vinculo implicitus cùm deuoraretur, lamentabatur quòd cum maximis pugnans, à vili animali aranea occideretur.*

Fabula in eos, qui prosternunt magnos, & à paruis prosternuntur.

GVLIELMVS CANONICVS, D. AVR. AVGVSTINI FLORENTIO suo, illustri Baroni Iselsteino, S. D.

FABVLAS Aesopi cùm ex oratione ligata in solutam vertissem, tibi florentissime Florenti dicare placuit: quàm enim sis amans literarum, ex meo Antonio viro literatissimo facilè intelligo. Nam eũ tu quidẽ quod eruditũ scires, accivisti, & is tui amantissimus est, cùm ob alia quædam, tum ob amorem tuum erga literatos. Neq; illud præterire debeo, me quoque à te vehementer amari, & te commendante magistro Antonio

succen-

ſuccenſum deſiderio noſtri. Apprimè ſanè decere ſolet, qui genere ſit illuſtris, eum eſſe amicum & familiarem literarum, quæ, vt cætera commoda earum ſileam, vel ſolæ adeò faciunt immortalem. Erit autem harum fabularum lectio tibi (vt opinor) vtilis, quippe vbi multa ad bene viuendum appoſita inuenies, grata certè earum lectio, & iucũda nõ eſſe non poteſt. Hactenus autẽ eas illis, qui alias complures ſcripſerint, fuiſſe neglectui, ſatis miror: nec equidem tamen ſcripturus fuiſſem, ni & Titus Liuius harum in hiſtoria meminiſſet, & Flaccum noſtrum in epiſtola vſum viderem, & Quintilianum Inſtitutionum libris vtendum ſuadere cernerem. Sed ſatis iam exordij. Illud te admonitum velim, ne ſis inſcius, animantes, quæ iam mutæ ſunt, olim fuiſſe loquaces. Vale, & me, vt facis, ama.

¶ De Gallo gallinceo. 1

GALLVS *gallinaceus dum verrit ſtercorarium, offendit gemmã: Quid, inquiens, rem ſic nitidã reperio? Si gẽmarius reperiſſet, nihil eſſet eo lætius, vt qui pretiũ ſciret. Mihi quidẽ nulli eſt vſui, nec magni æſtimo: imo equidẽ omnibus gemmis granũ hordei malim.*

Per gemmam artem ſapientiamque intellige: per gallum hominem ſtolidum & voluptuarium. Nec ſtolidi artes liberales amant, cum vſum earum neſciant: nec voluptuarius, quippe cui vna placeat voluptas.

¶ De lupo, & agno. 2

LVPVS *ad caput fontis bibens, videt agnum procul infrà bibentem. Accurrit: agnũ increpitat, quòd turbarit fontem. Trepidare agnus, ſupplicare, vt parcat innocenti: ſe quãdo longè infrà biberit, potum lupi nec potuiſſe*

tuisse quidem turbare, nedum voluisse. Lupus contrà intonat: Nihil agis sacrilege, semper obes. Pater, mater, omne tuum inuisum genus sedulò mihi aduersatur. Tu mihi dabis hodie pœnas.

Vetus dictum est, vt canem cædas, facilè inueniri baculum. Potens si libet nocere, facilè capit nocendi causam: satis peccauit, qui resistere non potuit.

¶ De mure, & rana. 3

Bellum gerebat mus cum rana. De paludis certabatur imperio. Pugna erat vehemens & anceps: mus callidus sub herbis latitans, ex insidijs ranam adoritur: rana viribus melior, pectore, & insultu valens, aperto marte hostem lacessit. Hasta vtrique erat iuncea. Quo certamine procul viso, miluus adproperat: dumque præ studio pugnæ neuter sibi cauet, vtrunque bellatorem miluus rapit, & laniat.

Itidem euenire solet factiosis ciuibus, qui accẽsi libidine dominandi, dum inter se certant fieri magistratus, opes suas, plerunque etiam vitam in periculo ponunt.

¶ De cane, & vmbra. 4

Canis tranans fluuiũ, rictu vehebat carnem. Splendente sole, ita vt fit, vmbra carnis lucebat in aquis. Quã ille visam auidè captans, quod in faucibus erat, perdidit. Itaque tum rei, tũ spei iactura perculsus, primũ stupuit, deinde animũ recipiẽs, sic elatrauit: Miser, deerat cupiditati tuæ modus: satis superque erat, ni desipuisses. Iam per tuam stultitiam minus nihilo tibi est.

Monemur hac fabella modestiæ, monemur prudentiæ: vt & cupiditati sit modus, ne certa pro incertis amittamus. Astutè certé Terentianus ille Sannio: Ego, inquit, spẽ pretio nõ emo.

¶ De leone, & quibusdam alijs. 5

Cum oue ac quibusdam alijs pepigerat leo venationẽ fore communem: itur venatũ: capitur ceruus: partiuntur.

tur. Singulas singulis partes tollere, vt conuenerat incipientibus, leo rugijt: Vna, inquiens, pars mea est, quia sum dignißimus: Altera itidem mea est, quia viribus præstantißimus. Porrò quia in capiendo ceruo plus sudauerim, vendico tertiam. Quartam denique partem ni concesseritis, actū est de amicitia. Socij hoc audito, discedunt vacui, & taciti, non ausi mutire contra leonem.

Rara semper fuit fides, apud hoc seculum rarior est, apud potentes, & est, & fuit semper rarissima. Quocirca satius est vt viuas cum pari. Qui enim cum potentiore viuit, necesse habet sæpe de suo iure concedere: cum æquali æquale tibi ius erit.

¶ De lupo, & grue. 6

L V P O *voranti ouem, fortè ossa hæsere in gula. Ambit, orat opē, opitulatur nemo. Omnes dictitāt tulisse eū pretiū voracitatis. Tandem blanditijs multis, pluribusq́; promißis gruem inducit, vt collo longißimo in gulā inserto, os infixū eximeret. Petenti autem præmiū illusit: inepta, inquit, abi: non sat habes quòd viuis? vitam debes mihi: Si libuisset, licuit præmordere collum tuum.*

Tritum est, perire quod facis ingrato.

¶ De rustico, & colubro. 7

R V S T I C V S *repertum in niue colubrum frigore propè enectum, domum tulit, abiecit ad focum. Coluber ab igni vim, virusq́ue recipiens, deinde flammam non ferens, omne tugurium sibilando infecit. Accurrit rusticus, correpta sude, verbis, verberibusq́ue cum eo iniuriam expostulat. Num hanc referat gratiam? num vitā erepturus sit illi, qui vitam ipsi dederit?*

Fit interdum, vt obsint tibi, quibus tu profueris, & malè de te mereantur ij, de quibus tu bene sis meritus.

¶ De apro, & asino. 8

D V M *iners asinus irrideret aprum, ille indignās frendebat.*

debat. Malum quidem ignauißime fueras meritus,sed etiam si tu pœna fueras dignus, tamẽ ego indignus,qui à te pœnas sumam.Irride tutus,impunè tibi licet,tutus enim es ob inertiam.

Demus operam,vt cùm indigna nobis audimus, aut patiamur, ne indigna nobis dicamus,aut faciamus. Mali enim & perditi plerũque gaudent,si quispiam bonorum eis resistat,magni pẽdũt haberi se dignos vltiõe. Imitemur equos,& magnas bestias,qui oblatrantes caniculos,cum contemptu prætereunt.

¶ De mure vrbano,& mure rustico 9

LIBITVM *est vrbano muri deambulare rus. Vidit hunc mus rusticus,inuitat, apparatur,itur cænatum. Depromit rusticus quicquid posuerat in hyemem, & exhaurit omne penu,vt tãti hospitis expleat lautitiam. Vrbanus tamen frontem corrugans, ruris dãnat inopiã, vrbis subinde laudat copiã.Remeans ducit secũ in vrbẽ rusticũ,vt quæ verbis iactitarat,re comprobaret.Ineũt conuiuiũ,quod vrbanus splendidè compararat. Inter epulandũ auditur in sera murmur clauis: trepidare illi, & fugitare fugitando.Rusticus & insuetus,& loci ignarus ægrè se tueri.Discedẽte famulo redit vrbanus ad mensam,vocat rusticum:ille vix tandem metu deposito prorepit.Inuitantem ad pocula vrbanũ percunctatur, nũ hoc periculum crebrum sit: Respõdit ille quotidianũ esse,oportere contemni. Tum rusticus: Quotidianum? inquit: Mehercle istæ dapes plus fellis quàm mellis sapiunt. Equidem malo cum securitate meam inopiam, quàm cum tali anxietate istam copiam.*

Diuitiæ prę se ferunt quidem voluptatem,sed si introspicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapelus quidam fuit, qui cũ inimicis suis quàm maximè nocere vellet, diuites eos faciebat,dictitans ita se eos vlcisci, quippe accepturos cum diuitijs ingentem sarcinam curarum.

De

¶ De aquila, & cornicula. 10

AQVILA *nacta cochleam, non vi aut arte quiuit eruere piscem. Accedens cornicula dat cõsilium. Suadet subuolare, & è sublimi cochleam in saxa præcipitare, sic enim fore vt concha frangatur. Humi manet cornicula, vt præstoletur casum, præcipitat aquila, frangitur testa, subripitur piscis à cornicula, dolet elusa aquila.*

Noli quibusuis habere fidem: & consilium, quod ab alijs acceperis, fac inspicias. Multi enim consulti, non suis consultoribus, sed sibi consulunt.

¶ De coruo, & vulpecula. 11

PRAEDAM *nactus strepitat in ramis coruus. Videt vulpecula gestientem, accurrit: Coruum, inquit, plurima salute impertit vulpes. Sæpenumero audieram famã esse mendacem, iam re ipsa experior. Nam vt hac fortè iam prætereo, suspiciens te in arbore, aduolo culpans famam. Fama enim est, te nigriorem pice esse, et video candidiorem niue. Meo sanè iudicio cygnos vincis, & hedera formosior alba es. Quòd si vt plumis, ita & voce excellis, omniũ auiũ equidẽ te dixerim reginã. Hac assentatiũcula illectus coruus, ad canendũ apparat, apparanti verò è rostro excidit caseus: quo correpto, vulpecula cachinnũ tollit. Tum demũ miserum coruum pudet, pigetque sui: & iactura rei mista pudore dolet.*

Nonnulli sic auidi laudis sunt, vt cum suo probro & damno ament assentatorem. Eiusmodi homunciones predæ sunt parasitis. Quòd si vitaueris iactantiam, facilè assentatorum pestiferum genus vitaueris. Si tu voles esse Thraso, nusquam deerit Gnatho.

¶ De leone senectute confecto 12

LEO *qui in iuuentute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exoluit pœnas. Reddunt talionem bestiæ. Dente aper, cornu petit taurus. In primis asellus,*

lus, vetus ignauiæ nomen cupiens abolere, verbis & calcibus strenuè insultat. Tum gemebundus leo: Hi quibus olim nocui, iam vicißim nocent, & meritò. Sed hi quibus aliquando profui, iam vicißim non prosunt, imò etiã immeritò obsunt. Stultus fui, qui multos fecerim inimicos, stultior qui falsis amicis confisus fuerim.

In secundis rebus nõ efferaris, non sis ferox. Nam si vultum mutarit fortuna, vlciscentur quos læsisti. Et inter amicos sic habeas discrimen. Sunt enim quidam amici non tui, sed mensæ tuæ, sed fortunæ tuæ. Quæ quidem fortuna simul ac mutata erit, & illi mutabuntur. Et bene tecum actum erit, si non inimici fuerint. Meritò queritur Ouidius.

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauet velis aura secunda meis:
Vt verò nimboso tumuerunt æquora vento,
In medijs lacera puppe relinquor aquis.

¶ De cane, & asino. 13

DVM *blandiretur canis hero, & familiæ herus, & familia canem demulcet: asellus id videns, altius gemit, cœpit eum pigere suæ sortis, iniquè putat comparatum canem gratum esse cunctis, pascique de mensa herili, idq; ocio ludoque consequi: Sese contrà portare clitellas, cædi flagello, nunquàm otiosum esse, & cunctis tamen odiosum. Si hæc fiant blanditijs, eã artem, quæ tam vtilis sit, statuit sectari. Igitur quodam tempore redeunti domũ hero, rem tentaturus, procurrit obuiam, subsilit, pulsat vngulis: exclamante hero, accurrêre serui, & ineptus asellus, qui se vrbànum credidit, fuste vapulat.*

Non omnia possumus omnes (vt ait Vergil. in Bucolicis) nec omnes omnia decent: id quisque velit, id tẽtet, quod posit. Nõ simus id quod Græcè significantius dicitur, ὄνος λύρας, id est, asinus lyrarum, vel lyræ. Sic autem Boëtius: Asinus ad lyram positus. Repugnante natura irritus est labor. Tu nihil inuita facies dicesúe Minerua, teste Horatio.

¶ De leone, & mure. 14

LEO æstu cursúque defessus, sub vmbra fronde super viridi quiescebat. Murium autem grege tergum eius percurrente, experrectus vnum è multis comprehendit. Supplicat captiuus, indignum se esse cui leo irascatur, clamitat: reputans ille in nece tantillæ bestiolæ nihil esse laudis, captiuum dimittit. Nec verò ita multò pòst, leo fortè dum per saltum currit, incidit in plagas, rugire licet, exire non licet. Rugientem miserabiliter leonem mus audit, vocem agnoscit, repit in cuniculos, laqueorũ quærit nodos, quæsitos inuenit, inuentos corrodit, leo è plagis euadit.

Hæc fabella suadet potentibus clementiam. Etenim vt sunt res humanæ instabiles, egent interdum ipsi potentes ope humillimorum. Quare vir prudens, & si potest, timebit vel vlli hominum nocere. Qui autem non timet nocere alteri, valde desipit. Quid ita? Quia etsi iam potentia fretus neminem metuis, forsan olim erit vt metuas. Cõstat enim euenisse claris, magnisq́ue regibus, vt vilium homuntionum vel gratia indiguerint, vel iram metuerint.

¶ De miluo ægroto. 15

LECTO decumbebat miluus. Iam fermè moriens matrem orat precatum ire deos. Mater respondet, nil opis illi sperandum à dijs, quorum sacra, & aras suis rapinis toties violasset.

Decet venerari superos. Illi enim pios iuuant, impios auersantur: in felicitate neglecti, in miseria non exaudient. Quare in secundis rebus sis eorum memor, vt in aduersis rebus præsentes sint vocati.

¶ De hirundine, & alijs auiculis. 16

CVM primùm cœptum est seri linum, hirundo suadet auiculis impedire sementem, dictitãs sibi fieri insidias. Irrident illæ, stultam vatem hirundinem vocant. Surgente iam lino & virescente, rursus monet euellere satas. Iterum irrident. Maturescit linum, hortatur popu-

lari

lari segetem. Cùm ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo auium cœtu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam. Init cum eo fœdus, cohabitat, cantu demulcet, Cæteris auibus è lino fiunt retia & laquei.

Multi nec ipsi consulere sibi norunt, nec rectè consulenté audiunt. Sed cum in periculis sunt & damnis, tum demũ sapere incipiunt, & suam damnare secordiam. Tum sat superq; consilij est: Hoc, inquiunt, & illud factum oportuit. Sed præstat esse Prometheum, quàm Epimetheum. Fuere hi fratres, nomina sunt Græca. Alteri consilium ante rem fuit, alteri post rẽ, quod declarat interpretatio nominum.

¶ De ranis, & earum rege. 17

GENS *ranarum, cùm esset libera, Ioui supplicabat dari regem. Ridere Iupiter vota ranarum: illæ tamen iterũ atque iterum instare, donec ipsum perpellerent. Deijcit ille trabem, ea moles ingenti fragore quassat fluuiũ: territæ silent ranæ: regem venerantur. Accedunt pedetentim propius, tandem abiecto metu, insultant & desultant: iners rex lusui est, & contemptui. Lacessunt rursum Iouem, orant regem dari qui strenuus sit. Dat Iupiter ciconiam. Is præstrenuè perambulans paludem, quicquid ranarum obuium fit, vorat. De huius igitur sæuitia ranæ frustra questæ sunt. Iupiter non audit: nam & hodie adhuc queruntur. Vesperi enim ciconia cubitum eunte, & antris egressæ, rauco vlulatu murmurãt, sed surdo canunt. Vult enim Iupiter, vt quæ regem clementem sint deprecatæ, iam ferant inclementem.*

Perinde atque ranis euenire solet plebi, quæ si regem paulò mansuetiorem habet, ignauum, inertem esse causatur, optat aliquando contingere sibi virum. Contrà si quando nacta est regem strenuum, huius sæuitiam damnat, prioris laudat clementiam, siue quòd semper præsentium nos pœnitet, siue quòd verum est verbum: Noua veteribus non esse potiora.

¶ De columbis, & earum rege Accipitre. 18

Co-

C O L V M B A E *olim bellum gessère cum miluo, quem ut expugnarent, delegerunt regem accipitrem. Ille rex factus, hostem agit nõ regem. Non segniùs ac miluus rapit ac laniat. Pœnitet columbas incœpti, satius fuisse putantes, pati bella milui, quàm tyrannidem accipitris.*

Neminem suæ sortis nimiùm pigeat. Nihil est (teste Flacco) ab omni parte beatũ. Equidem meam sortem, modò tolerabilis sit, mutari non optem. Multi noua sorte quæsita, veterẽ rursus optarũt. Ita plerique ingenio sumus omnes, vt nosmet nostri pœniteat.

¶ De fure, & cane. 19

F V R I *aliquando panem (vt sileat) porrigenti, respondit canis: Insidias tuas noui, panem das quò desinam latrare: sed ego tuum munus odi. quippe si ego tulero panem, tu ex his tectis cuncta asportabis.*

Caue parui commodi causa, amittas magnum: caue cuiuis homini fidem habeas. Sunt enim qui dolo non tantum benignè dicunt, sed & benignè faciunt.

¶ De lupo, & sucula. 20

P A R T V R I E B A T *sucula, pollicetur lupus se custodem fore fœtus. Respondit puerpera, lupi obsequio se nõ egere: si velit pius haberi, si velit gratum facere, longiùs abeat. Lupi enim officium cõstare non præsentia, sed absentia.*

Non sunt cuncta credenda cunctis. Multi suam operam pollicentur, nõ tui amore, sed sui, suũ quærentes cõmodũ, nõ tuũ.

¶ De partu montium. 21

O L I M *rumor erat parturire montes, homines accurrunt, circunsistunt, monstri quippiam non sine pauore expectantes. Parturiunt tandem montes, exit mus, tum omnes risu emori.*

Hanc fabellam tangit Horatius: Parturiunt montes, inquit, nascetur ridiculus mus: notat autem iactantiam. Iactabundi enim cùm magna profitentur, & ostentant, vix parua faciunt.

Quapropter Thrasones illi iure sunt materia ioci & scommatum. Vetat item hæc fabella inanes timores Plerunque enim grauior periculo est periculi metus, imò ridiculum est, quod metuimus.

¶ De cane vetulo, qui ab hero contemnitur. 22

CANEM *venaticum, qui iam senuerat, instigat herus, frustra hortatur, tardi sunt pedes, nō properat. Prehenderat feram, fera edentulo elabitur. Increpitat herus verbere & verbo. Canis respondet, debere sibi iure ignosci, iam senuisse, at iuuenem fuisse strenuū. Sed vt video, inquit, nihil placet sine fructu. Iuuenem amasti, senem odisti. Amasti prædabundū, odisti tardū edentulū. Sed si gratus esses, quē olim iuuenem frugis causa dilexisti, senem fructuosæ iuuentutis gratia diligeres.*

Rectè canis: Nam teste Nasone.

Nil, nisi quod prodest, carum est: en detrahe menti
Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.

Præteriti commodi nulla est memoria: futuri autem gratia nō magna, præsentis commodi summa.

Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur,
Vulgus amicitias vtilitate probat.

¶ De leporibus inaniter timentibus. 23

SYLVA *insolita mugiente turbine, trepidi lepores rapidè occipiunt fugere. Fugientes, cùm obsisteret palus, stetêre anxij vtrinque comprehensi periculis. Quoq; maioris esset incitamentū timoris, vident in palude mergi ranas. Tū ex leporibus vnus prudentior cæteris, ac disertior: Quid, inquit, inaniter timemus? Animo opus est. Corporū quidē agilitas nobis est, sed animus deest. Hoc periculum turbinis non fugiendū, sed est contemnendū.*

Omni in re opus est animo. Iacet virtus sine cōfidentia. Confidentia enim dux & regina virtutis est.

¶ De hœdo, & lupo. 24

CAPRA *cùm esset pastum itura, hœdum domi conclu-*

dit,

dit, monens aperire nemini, dum redeat ipsa. Lupus, qui id procul audierat, post matris discessum pulsat fores, voce caprizat, iubens recludi. Hœdus dolos præsentiens, Non aperio, inquit: nam etsi vox caprizat, tamen equidem per rimulas lupum video.

Obedire parenti filios, ipsis est vtile, & iuuenem seni decet auscultari.

¶ De ceruo, & oue. 25

CERVVS *coram lupo ouem ream facit, modium tritici debere clamitans. Ouis debiti quidem erat inscia, tamen ob lupi præsentiam spondet se daturam: dicitur solutioni dies. Dies adest, monet ceruus ouem. Illa it inficias. Quod enim promiserit, excusat factum in metu, et præsentia lupi. Votum extortum non esse seruandum.*

Sentētia iuris est, Vim vi repellere licet. Ex hac fabella noua quædam nascitur: Fraudem fraude repellere licet.

¶ De rustico, & angui. 26

RVSTICVS *quidam nutrierat anguem. Iratus aliquando bestiam petit securi. Euadit illa non sine vulnere. Postea rusticus deueniens ad paupertatem, ratus est id infortunij propter anguis iniuriam sibi accidere: igitur supplicat angui, vt redeat. Ille ait ignoscere se, sed redire nolle. Neque enim fore securum cū rustico, cui tanta sit domi securis, liuorem vulneris desijsse, superesse tamen memoriam.*

Ei qui semel fidem soluit, iterum habere fidem vix est tutū: iniuriam quidem donare, id sanè misericordiæ est: cauere autē sibi, & decet, & prudentiæ est.

¶ De vulpecula, & ciconia. 27

VVLPECVLA *vocarat ciconiam ad cœnam. Obsoniū in mensam effundit: quod cùm liquidum esset, ciconia frustra rostro tentante, vulpecula lingit. Abit elusa a-*

uis, pigetq́; pudetq́; iniuriæ. Post pluſculum dierũ redit, inuitat vulpeculam. Vitreum vas ſitum erat plenũ belli obſonij. Quod quidem vas quũ eſſet arcti gutturis, vulpecula obſonium licuit videre, & eſurire, guſtare non licuit. Ciconia roſtro facilè exhauſit.

Riſus riſum, iocus iocũ, dolus dolum, fraus meretur fraudẽ.

¶ De lupo, & capite picto. 28

LVPVS *in officina ſculptoris caput humanum repertũ verſat, miratur, ſentiens id, quod erat, nihil habere ſenſus: O pulchrum, inquit, caput: eſt in te artis multum, ſed ſenſus nihil.*

Externa pulchritudo, ſi adſit, grata: ſin alterutra carendũ eſt, præſtat externa quàm interna careas. Illa enim ſine hac interdũ incurrit odium, vt ſtolidus eò ſit odioſior, quò formoſior.

¶ De graculo. 29

GRACVLVS *ornauit ſe plumis pauonis. Deinde pulchellus ſibi viſus, faſtidito genere ſuo, contulit ſe ad pauonum genus. Illæ tandem intellecta fraude, ſtolidam auem coloribus nudarunt, & plagis affecerunt. Horatius hanc fabellam primo epiſtolarum libro narrat de cornicula. Ait eam olim adornatam, collectis, quæ auibus exciderant, plumis: pòſt, vbi vnaquæque auiũ ſuam plumam decerpſit, ridiculam fuiſſe.*

Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

Notat hæc figura eos, qui ſe gerunt æquo ſublimius, qui cũ his viuunt, qui & ditiores ſunt, & magis nobiles. Quare ſæpe inopes fiunt, & ſunt ludibrio. Probè Iuuenalis monet: E cælo deſcendit, γνῶθι σεαυτὸν, hoc eſt, Noſce te ipſum.

¶ De muſca, & formica. 30

MVSCA *altercabatur cum formica, ſe nobilem, illam ignobilem: ſe volitare, illam repere: ſe verſari in tectis*

regum

regum, illam cauernis latere, segetem rodere, aquam bibere, se splendidè epulari iactabat, & hæc tamen ocio nãcisci. E regione formica se non ignobilem esse, sed suis natalibus contentam: muscam vagam esse, se stabilem: sapere formicæ grana & fluenta, quod muscæ pastilli et vina. Atque hæc se non segni otio, at strenua opera nancisci. Porrò formicam lætam esse & tutam, charam omnibus, exemplar denique laboris: Muscam anxiam cum periculo esse, cunctis infestam, cunctis inuisam, exemplar denique segnitiei. Formicam hyemis memorem, alimenta reponere: muscam in diem viuere, hyeme aut esurituram, aut certè morituram.

Qui pergit quæ vult dicere, quę non vult audiet. Musca si bene dixisset, bene audisset. Assentior autem formicæ: Videtur enim optabilior vita obscura cum securitate, quàm cum periculo splendida.

¶ De rana, & boue 31

RANA *cupida æquandi bouem, se distentabat. Filius hortabatur matrem cœpto desistere. Nihil enim esse ranam ad bouem. Illa secũdùm intumuit. clamitat natus: Crepes licet mater, bouem nunquam vinces. Tertiùm autem quum intumuisset, crepuit.*

Cuique sua dos est. Hic forma, ille viribus, hic opibus, ille pollet amicis. Vnumquemque suo decet esse contentum. Valet ille corpore, tu ingenio. Quocirca quisque semet consulat, ne inuideat superiori, quod miserum est (nec quod stultitiæ est) certare optet.

¶ De equo, & leone. 32

VENIT *ad equum comedendũ leo. Carens autem præ senecta viribus, meditari cœpit artem, medicum se profitetur, verborum ambage equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit se nuper in loco spinoso pupugisse pedem, orat vt inspiciẽs sentẽ medicus edu-*

cat. Paret leo. At equus quanta potuit vi, calcem leoni impingit, & se continuò conijcit in pedes. Leo vix tandem ad se rediens (ictu enim propè exanimatus fuerat) Pretium, inquit, fero ob stultitiam, & is iure effugit: Dolum enim dolo vltus est.

Odio digna est simulatio, & simulatione capienda: Non est timendus hostis, qui hostem pre se fert, sed qui cùm hostis sit, beneuolentiã simulat, is demũ timendus, & odio dignißimus.

¶ De equo, & asino. 33

EQVVS *phaleris sellaque exornatus, cum ingenti hinnitu per viam currebat. Currenti autem onustus asellus fortè obstabat. Equus ira fremebundus, & frana ferox spumantia mandens: Quid, inquit, tarde, ignaue absistis equo? Cede, inquã, aut proculco te pedibus. Asellus contra rudere non ausus, cedit tacitus. Equo autem prouolanti, & cursum intendenti crepat inguen. Tum cursui & ostentui inutilis, ornamentis spoliatur, dein carrario venditur. Videt postea cum carro venientem asellus, & affatur: Heus bone vir: quid isthuc ornati est? Vbi aurata sella, bullata cingula? Vbi nitidum franum? Sic amice necesse fuit euenire superbienti.*

Pleriq; in secundis rebus elati sunt, nec sui memores, nec modestiæ. Sed quia prosperitate insolescũt, aduersitatẽ incurrunt. Eos qui felices videntur, monuerim esse cautos. Etenim si rota fortunæ circumacta fuerit, sentient miserrimum genus infortunij esse fuisse felicem. Accedit ad cumulum infelicitatis id quoque mali, contemnentur ab ijs, quos ipsi contempsere, & illudent eis ij, quos ipsi risere.

¶ De auibus, & quadrupedibus. 34

AVIBVS *pugna erat cum quadrupedibus. Vtrinque spes, vtrinque metus, vtrinque erat periculum. Vespertilio autem relictis socijs defecit ad hostes. Vincunt aues duce & auspice aquila. Transfugam verò vespertilionem*

tilionē damnant, vti ne ad aues vnquam illi sit reditio, vti ne luce vnquam sit volatus. Hæc causa Vespertilioni est, vt non nisi noctu volet.

Qui cum socijs aduersitatis & periculi particeps esse renuit, prosperitatis & salutis expers erit.

¶ De lupo, & vulpe. 35

LVPVS *quum prædæ satis esset, in otio degebat. Accedit vulpecula, sciscitatur otij causam. Sensit lupus insidias fieri suis epulis, simulat morbum esse causam, orat vulpeculam deprecatum iri deos. Illa dolens dolum non succedere, adit pastorem, monet petere latebras lupi: hostem enim securum posse inopinatò opprimi. Adoritur pastor lupum, mactat. Illa potitur antro & præda. Sed fuit illi breue sceleris sui gaudium. Nam non ita multò pòst idem pastor & ipsam capit.*

Fœda res inuidia est, & ipsi interdum autori quoque perniciosa. Flaccus epistolarum primo:

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

¶ De ceruo. 36

CERVVS *in perspicuo fonte se conspicatus, probat procera frontis & ramosa cornua: sed tibiarum exilitatem damnat. Fortè dum contemplatur, dum iudicat, interuenit venator. Fugit ceruus ocyor pilis, & agente nimbos ocyor Euro. Insectantur fugientem canes. Sed quum intrasset condensam syluam, implicita sunt ramis cornua: tum demum tibias laudabat, & cornua damnabat, quæ fecère vt præda esset canibus.*

Fugienda petimus, petenda fugimus. Placent quæ officiunt, quæ conferunt displicent. Beatitudinem cupimus, priusquam vbi sit intelligamus. Opum excellentiam & honorum celsitudinem quærimus: in his beatudinem sitam opinamur, in qui-

bus tamen multum laboris est & doloris. Pulchrè id significat Lyricus ille noster:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos Fulgura montes.

¶ De vipera, & lima. 37

IN *fabrica offendens limam vipera, cœpit rodere. Subrisit lima: Quid, inquiēs, inepta? quid agis? Tu tibi antè contriueris dentes, quàm me atteras: quæ duritiem æris præmordere soleo.*

Etiam atque etiam vide, quicum tibi res sit. Si in fortiorem dentes acuis, non illi, sed tibi nocueris.

¶ De lupis, & ouibus. 38

LVPIS *& agnis, quibus discordia est, fœdus aliquando fuit, datis vtrinque obsidibus. Lupi suos catulos: oues canum cohortem dedêre. Quietis ouibus ac pascentibus, lupuli matrum desiderio vlulatus edunt. Tum lupi irruentes, fidem fœdusque solutum clamitant, ouesque canum præsidio destitutas laniant.*

Inscitia est, si in fœdere tua præsidia hosti tradas. Nam qui hostis fuit, hostis forsan nondum esse desijt. Fortassis & causam ceperit, cur te nudatum præsidijs adoriatur.

¶ De sylua, & rustico. 39

QVO *tempore etiam arboribus suus sermo erat, venit rusticus in syluam, rogat vt ad securim suam tollere liceat capulū. Annuit sylua. Rusticus aptata securi cœpit arbores succidere. Tum, & quidem serò, pœnituit syluā suæ facilitatis. Doluit seipsam esse causam sui exitij.*

De quo bene merearis vide. Multi fuere, qui accepto beneficio, in autoris abusi sunt perniciem.

¶ De membris, & ventre. 40

PES *& manus ventrem olim incusarunt, quod ab otioso eo lucra ipsorum vorarentur. Iubent aut laboret, aut ali ne petat. Supplicat ille semel atque iterum: negant*

gant

gant tamen manus alimentum. Exhausto inedia ventre, vbi cœpêre omnes artus deficere, tum manus voluit tandem officiosa esse, verùm id serò. Nam venter desuetudine debilis, cibum repulit. Ita cuncti artus dum ventri inuident, cum ventre pereunte pereunt.

Perinde atque in membrorum societate est, ita habet se societas humana. Membrum eget membro, amicus eget amico: quare mutuis operibus & mutuis officijs vtendum est. Neque diuitiæ, neque dignitatum apices hominem satis tuentur. Vnicum & summum præsidium, complurium amicitia est.

¶ De simia, & vulpecula 41

SIMIA *vulpeculam orat, vt partem caudæ sibi donet ad tegendas nates. Illi enim esse oneri, quod sibi foret vsui & honori. Respondet illa: nihil nimis esse, & se malle humum cauda sua verri, quàm simiæ nates tegi.*

Sunt qui egeant, sunt quibus superet. Nulli tamen diuitum id moris est, vt re superflua beet egenos.

¶ De ceruo, & bobus. 42

CERVVS *venatorem fugiens, coniecit se in stabulũ. Boues orat vt in præsepe latitare liceat. Boues tutum esse negant: mox enim & dominum & famulum affuturos. Ille securum se esse ait, modò ne ipsi prodant. Intrat famulus, occultum fœno non videt: exit. Gestire ceruus, & nihil iam timere. Tum vnus è bobus, & æuo & consilio grauis: Facilè, inquit, erat hunc, qui talpa est, fallere, sed vt herum, qui Argus est, lateas, hoc opus, hic labor est. Mox deinde introgreditur herus. Qui vt serui negligentiam corrigat, cuncta lustrans oculis, & præsepe manu tentans, cerui deprehendit sub fœno cornua. Inclamat famulos, accurrunt, feram concludunt, capiunt.*

In aduersis rebus & periculis latebræ difficiles sunt inuentu, aut q̃a miseros vt cepit, fortuna exagitat: aut quia metu ipsi impediti,

pediti,& inopes consilij semet imprudentia produnt.

¶ De leone,& vulpecula. 43

LEO *ægrotabat, visebant animalia, vna officium differente vulpecula. Ad hanc legatum mittit leo cum epistola, quæ venire admoneat: gratissimam rem ægroto fore eius vnius præsentiam. Nec quicquam periculi fore cur vulpecula metuat: leonem enim primùm quidem amicissimũ esse vulpeculæ: ideoque percupere eius colloquiũ. Deinde ægrotum esse & decũbere, & etiã si, id quod nõ erat, velit, nocere tamen non queat. Rescribit vulpecula, optare se vt leo conualescat, idq; oraturã superos. Cæterũ minimè visurã, terreri enim se vestigijs. Quæ quidẽ vestigia cũ omnia sint antro leonis aduersa, & nulla auersa, eam rem indiciũ esse, multum quidẽ animaliũ introisse, sed exijsse nullũ. Horat. in 1. Epist.*

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam, quia me vestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Caue fidem habeas verbis ni caueris, sæpe tibi dabũtur verba. Capienda est coniectura, cum ex verbis, tum ex factis, & ex his illa sunt iudicanda.

¶ De vulpecula,& mustela. 44

VVLPECVLA *longa inedia tenuis, fortè per angustiorem rimam in cameram frumenti repsit. In qua cũ probè pasta fuit, dein rursus tentãtem egredi, distentus impedijt venter. Mustela luctantem procul contemplata, tandem monet si exire cupiat, ad cauum macra redeat, quò macra intrarat.*

Videas complures in mediocritate lætos esse, atque alacres, vacuos curis, expertes animi molestijs. Sin hi diuites facti fuerint, videbis eos mœstos incedere, nunquam frontem porrigere, plenos curis, animi molestijs obrutos. Hãc fabellam sic Horatius canit lib. 1. Epist.

For-

Fortè per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cameram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul: Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cauum repetas arctum, quem macra subisti.

¶ De equo, & ceruo. 45

EQVVS *gerebat bellum cũ ceruo. Pulsus tandem e pascuis implorabat opem humanã. Redit cum homine, descendit in campũ: victus antea, iam fit victor. Sed tamẽ hoste victo, & sub iugum misso, ipse victor necesse est seruiat homini. Equitem fert dorso, & frænum ore.*

Dimicant multi contra paupertatem. Quæ per fortunam & industriam victa, sæpe victoris interit libertas. Domini quidem & victores paupertatis seruire incipiunt diuitijs, anguntur auaritiæ flagris, parsimoniæ cohibentur frænis, nec quærendi tenent modum, nec iusto quidem auaritiæ supplicio partis rebus audent vti. Horatius de hac fabella libro primo Epistolarum.

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frænumque recepit.
Sed postquam violens victor discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum reppulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternum, qui paruo nesciet vti.

ÆSOPI FABVLÆ XXXVI. ADRIANO BARLANDO INTERPRETE.

¶ De duobus adolescentibus. I

ADOLESCENTES *duo obsonium apud cocum sese empturos simulant. Cocò alias res agente, carnẽ alter è canistro surripit, dat socio vt sub veste occulat. Cocus surreptam sibi carnis partem vt vidit, furti vtrunque cœpit insimulare. Qui abstulerat, per Iouem nihil habere: is verò qui habuit, nihil abstulisse identidem deierat. Ad quos: Me quidem, inquit cocus, fur nunc latet,*

tet, sed is inspexit, is scit, quem iurastis.

Si quid peccauimus, id non statim sciunt homines: at Deus omnia videt, qui sedet super cælos, & intuetur abyssos. Quod si cogitent homines, suppreßius, prudentiusque peccabitur.

¶ De cane, & lanio. 2

CANIS *in macello cùm lanio carnem abstulisset, in pedes sese continuò quantum potuit coniecit. Lanius iactura rei perculsus primùm tacuit, deinde animũ recipiens, sic procul acclamitauit: O furacißime curre tutus, impunè tibi licet: tutus enim es nunc ob celeritatem. Posthac autem cautiùs mihi obseruaberis.*

Hæc fabula significat plerosque omnes tum demum fieri cautiores, vbi damnum acceperint.

¶ De cane, & oue. 3

CANIS *ouem in ius vocat, panem ex mutuo debere clamitans: illa it inficias. Miluus, lupus, vultur accersuntur, rem affirmant, damnatur ouis, damnatam canis rapit ac deglubit.*

Falsis testimonijs opprimi quàm plurimos, cum nemo nescit, tum hæc quàm optimè docet fabellula.

¶ De agno, & lupo. 4

AGNO *comitanti caprum, lupus fit obuiam, rogitat cur relicta matre olidum potius sequatur hircum, suadetq;, vt ad distenta lacte matris vbera redeat, sperans ita fore abductum vt laniet. Ille verò: Mater me, ô lupe, inquit, huic commisit, huic summa cura seruandi data est, parenti potius, quàm tibi obsequendum, qui me seducere istis dictis postulas, seductum mox percerpere.*

Noli omnibus fidem habere: multi enim dum alijs videntur velle prodesse, sibi interim consulunt.

¶ De adolescente, & cato. 5

CVM *adolescens quidam in delitijs amoribusque vsurpasset catum, Venerem precibus fatigauit, vt catum in fæmi-*

fœminam transfiguraret. Commiserescit, & audit orantem Venus, fit metamorphosis, quæ adolescenti miserè amanti perplacuit, nempe tota succi plenula, tota candidula, tota elegantula. Itur deinde in cubiculum, ridetur, luditur. Nec verò ita multò pòst percupiens experiri Dea nunquid catus cum corpore mutasset & mores, per impluuium immittit musculum, ibi risu prorsus, atque ludo res digna accidit. Conspectam illicò bestiolam insequitur muliercula. Venus indignans, fœminæ vultus iterum in Catum,

Cum pedibusque manus, cum paruis brachia mutat
Cruribus, & cauda est mutatis addita membris.

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt: nimisque difficile est assueta relinquere. Naturam expellas furca licet, ipsa recurret, inquit Horatius.

¶ De agricola, & filijs. 6

COMPLVRES *habebat agricola filios, adolescentulos, ijque inter se discordes fuere: quos pater elaborans trahere ad mutuum amorem, apposito fasciculo iubet singulos breui circundatum funiculo effringere: imbecilla nequicquam conatur ætatula. Soluit parēs, redditque singulis virgulam, quam cùm pro suis quisque viriculis facilè frangeret: O inquit, filioli, sic concordes vos vincere poterit nemo: sed si mutuis volueritis sæuire vulneribus, atque intestinum agitare bellum, eritis tandem præda hostibus.*

Docet hic apologus, concordia paruas res crescere, discordia magnas dilabi.

¶ De asino, & equo. 7

RVSTICVS *equum vacuum, asinumque sarcinulis egregiè onustum producit ad viam: defessus asellus, equū sibi onere vt adiutet, orat, si saluum velit. Negat factu-*

rum

rum equus. Asellus tandem sarcinæ pondere grauatus procumbit, moritur. Herus omne onus, mortui quoque aselli corium, in equi dorsum reclinat: quibus cùm ille deprimeretur. Me miserũ, inquit, merito meo si nũc exerceor, qui dudum laboranti asino opitulari nolui.

Monemur hac fabula, vt opresśis subueniamus amicis: ortus nostri (inquit Plato) partẽ sibi patria vendicat, partem amici.

¶ De carbonario, & fullone. 8

FVLLONEM *inuitabat carbonarius, vt secum in vnis ædibus habitaret. Fullo: Non est, inquit, mi homo, isthuc mihi vel cordi, vel vtile: vereor enim magnoperè, ne quæ ego eluã, tu reddas tã atra quàm carbo est.*

Monemur hoc apologo cum inculpatis ambulare: monemur sceleratorum hominum consortia veluti pestem quandã deuitare. Trahũt, inquit Campanus, hominem sodalitia, commercia etiam in mores penetrant, & perinde quisque euadit, vt quibuscum versatur.

¶ De aucupe. 9

IT *venatum auceps, videt nidulantem procul in altissima arbore palumbum, adproperat, denique insidias molitur, premit fortè calcibus anguem. Hic mordere: ille improuiso exanimatus malo, Me miserum, inquit, dũ alteri insidior, ipse dispereo.*

Significat hæc fabula, nonnunquam eos suis artibus circunueniri, qui res nouas moliuntur.

¶ De buccinatore, seu tubicine. 10

BVCCINATOR *quidam ab hostibus capitur, abducitur: trepidare ille, supplicare, vt parcant innoxio, se, quando nihil vnquam armorum præter vnam buccinã gestauerit, hominem ne potuisse quidem occidere, nedũ voluisse. Illi contrà murmure tum sæuo, tum verberibus intonant: Nihil agis scelus, maximè noces, atque nunc hîc trucidabere, quòd cùm ipse, vt fateris, sis rei militaris*

taris imperitus, cornu isthoc tuo aliorum excitas, cuibrasque animos.

Grauissimè peccant nonulli, qui ad mala alioqui satis pronis principibus, vt iniquè agant, consulunt, atque huiusmodi quædam ad illorum aures occinunt. Quid etiam dubitas? an te principem esse oblitus es? an non tibi quod lubeat licet? tu legibus maior, in te legirupæ nomen cadere haud potest, qui ipsis etiam dominaris legibus: tui nihil possident quod tuum non sit: potes & seruare & perdere: tibi fas est opibus dignitateque augere quem visum sit, fas est vbi libuerit adimere. Alios alia vel damnant, vel commendant, tibi nihil non honestissimum futurum.

¶ De lupo, & cane. 11

LVPVS *cani ante lucem in sylua forte fortuna fit obuiam, salutat, aduentum gratulatur, denique rogat quo pacto tam sit nitidus. Cui ille: Herilis cura hoc efficit, herus me blandientem sibi demulcet, de mensa pascor herili nitidissima, nunquam sub dio dormito, tum vniuersæ familiæ non dici potest quàm sim gratus. Næ tu (inquit lupus) multò es felicissimus ô canis, cui tam benignus et comis contigit herus, quocū ô vtinam cōmorari et mihi liceat, nullum me animantiū esset vspiam fortunatius. Canis noui status cupidissimum videns lupum, effecturum se pollicetur, vt hæreat in parte aliqua apud herum, modò de pristina ferocia aliquid remittere, & seruitutem seruire velit. Stat sententia: lupo libitum est deambulare ad villam. Sermones edunt in itinere prorsus iucundissimos. Posteà verò quàm illuxit, contritum canis collum videns lupus: Quid sibi vult, inquit, ô canis tua isthæc prorsus depilata ceruix? Solebam, inquit ille, feroculus notis pariter & ignotis allatrare, obmordereque nonnunquam: id ægrè ferens herus, crebris me tundebat verberibus, prohibens etiam ne quem præter fit-*

furem lupumque adorirer: ego sic vapulando victus sum, eo mitior factus, hocque genialis sæuitiæ seruaui signum. Lupus hoc audito: Ego, inquit, heri tui amicitiā tanti non emo. Vale igitur ô canis cum tua isthac seruitute: mihi mea potior est libertas.

Optabilius est in humili casa dominum esse, panem atrum vorare, quàm in amplissima regia opiparis mensis frui, & obnoxium trepidumque agere. Nam libertas sublimi exulat aula, vbi accipienda venit, & mussitanda iniuria est.

¶ De agricola, & canibus. 12

AGRICOLA *cùm ruri plusculos hyemasset dies, cœpit tandem necessariarum rerum penuria laborare: interficit oues, mox & capellas, postremò boues quoque mactat, vt habeat quo inedia pane exhaustum corpusculum sustentet. Id videntes canes, salutem fuga quærere constituunt: sese enim non victuros diutius, quando ne bobus quidem, quorum in opere rustico faciundo vtebatur opera, pepercit herus.*

In quam domum mercedis gratia te tradas, vide. Nonnulli inhumanissimi sunt heri. Multi enim hodie eò demētiæ prolabūtur, vt vel seruos infortunio malo & dāno libēter mactent.

¶ De vulpe, & leone. 13

VVLPECVLA, *quæ leonis immunitatem insuetam habebat, semel atque iterum id fortè animalis contemplata, trepidare & fugitare. Quum iam tertiò obtulisset sese obuiam leo, tantum abfuit vt metueret quicquā vulpes, vt confidenter illum adierit, salutaueritque.*

Omnes nos consuetudo audaciores facit, vel apud eos, quos antea aspicere vix ausi fuimus.

¶ De vulpe, & aquila. 14

VVLPECVLAE *proles foras excurrerat, ab aquila comprehensa, matris fidem implorat: accurrit illa: vt captiuam prolem dimittat, aquilam rogat: aquila nacta*

præ-

prædam ad pullos subuolat: vulpes correpta face quasi illius munitiones incendio absumptura esset, insequitur. Quum iam arborem conscendisset & ipsa: Nunc te, inquit, tuosque si potes tuere. Trepidans aquila, incendiũ dum metuit: Parce, inquit, mihi, paruisque liberis, tum quicquid habeo reddidero.

Per aquilam potentis atque audacis animi homines intellige: per vulpem pauperculos, quos calumnijs premere, contumelijsque afficere, diuitibus æquè studium est. Verùm, quando est sua & formicis ira, impotentes ij acceptam interdum probè vlciscuntur iniuriam.

¶ De agricola, & ciconia. 15

GRVIBVS *anseribusque sata depascentibus laqueũ prætendit rusticus: capiuntur grues, capiuntur anseres, capitur & ciconia. Supplicat illa innocentem sese clamitans, & nec gruem nec anserem esse, sed auium omnium optimã, quippe quæ parenti sedulò semper inseruire, tum demque senio confectũ alere consueuerit. Agricola: Horum, inquit, nihil me fugit: verùm cũ nocentibus postquàm te cepimus, cum his quoque morieris.*

Qui flagitium committit, & is qui impuris se adiungit socium, pari pœna plectuntur.

¶ De gallo, & cato. 16

VENIT *ad gallum comedendum catus: non satis autẽ habens ad nocendum causæ, gallum criminari occipit, obstreperam esse auem dictitans, vtpote quæ voce tam acuta noctu dormientes homines expergefaciat. Ille se innocentem ait, quum sic excitet in opera mortales. Catus contrà intonat: Nihil agis scelestè: cum matre rem habes, nec sorore abstines. Id gallus quoque expurgare quũ niteretur. Nec hoc, inquit perseuerantiùs sæuiens catus, quicquam facis, tu mihi hodie discerperis.*

Vetus dictum esse ait Gulielmus Gaudanus vt canem cæ-

das, facilè inueniri baculum. Malus si libitum fuerit, quo iure, quaque iniuria te præcipitem dabit.

¶ De opilione, & agricolis. 17

PUER *editiore pratulo oues pascebat, atque per iocum terque quaterque lupum adesse clamitans, agricolas vndique exciebat: illi sæpius elusi, seriò auxiliū imploranti dum non subueniunt, fiunt oues præda lupo.*

Si mentiri insueuerit quispiam, huic si quando verum narrare occeperit, haud facilè habebitur fides. Superiori apologo finitimus est ille apud Horat. de Plano scurra iocus:

Nec semel irrisus triuijs attollere curat
Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
Lacryma, per sanctum iuratus dicat Osirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

¶ De aquila, & coruo. 18

RUPE *editissima in agni tergum deuolat aquila. Videns id coruus, imitari, velut simius, gestit aquilam, in arietis vellus se demittit, demissus impeditur, impeditus comprehenditur, comprehensus proijcitur pueris.*

Non aliorum, sed sua se quisque virtute æstimet. Tuo te pede metire, inquit Horatius. Id velis, id tentes, quod possis.

¶ De cane inuido, & boue. 19

PRAESEPIO *fœni pleno decumbebat canis. Venit bos vt comedat. Ille sese surrigens prohibere. Bos: Dij te cum tua isthac inuidia perdant, inquit, qui nec fœno vesceris, nec me vesci sinis.*

Eo sunt ingenio plerique vt alijs inuideant, quod ipsi mentis inopia assequi nequeunt.

¶ De cornice, & oue. 20

STREPITAT *in ouiculæ dorso cornicula. Ouis: Cani inquit, si sic obstreperes, ferres infortuniū. At cornix: Scio, inquit, quib. insultē, placidis molesta, sæuis amica.*

Impotenti & syncero perpetua est cum malis parata certatio. Illiditur solo innocentissimus quisque; nocentis præferocis

cis hominis aures adstrepit nemo.

¶ De pauone, & luscinia. 21

PAVO *apud summi Iouis sororem & coniugem Iunonem, queritur lusciniam suaue cantillare, se ob raucam rauim ab omnibus irrideri. Cui Iuno: Dos sua à dijs cuique. Luscinia cantu, tu plumis lõgè superas: vnũquemquẽ sua sorte decet esse contentum.*

Quæ diui largiuntur, grato sumamus animo, neque maiora quæsierimns. Superi temerè agunt nihil.

¶ De mustela, & muribus. 22

MVSTELA *præ senio viribus carens, mures iam ita, vt solet, insequi non valebat, meditari cœpit dolum, in farinulæ se colliculum illatebrat, sic sperãs fore, vt citra laborem venetur. Accurrunt mures, & farinam esitare dum cupiunt, ad vnum omnes à mustela vorantur.*

Vbi viribus quispiam destitutus fuerit, ingenio opus est. Lysander Lacedæmonius subinde dicere solebat, quò non perueniret leonina pellis, vulpinam assuẽdam esse: quod sic lucidius dixeris: Vbi virtus non satis potest, adhibẽda est astutia.

¶ Apologus ex Mantuano traductus. 23

RVSTICVS *quidam ex malo, quam in proximo habebat agello, sapidißima quotannis legebat poma, hero lecta donabat vrbano, qui illectus incredibili pomorum dulcedine, malum tandem ad se transtulit: ea veterrima repentè exaruit, atque ibi poma pariter & malus periêre. Quod cùm patrifamilias nunciaretur: Heu difficile est, inquit, annosam transplantare arborem. Satis superque fuerat, si frænos meæ nouissem imponere cupiditati, fructus ramo decerpere. Hanc fabulam sic Mantuanus:*

Rusticus ex malo dulcißima poma legebat,
Vnde dare vrbano dona solebat hero.

Ast herus illectus frugum dulcedine, malum
Transtulit in laribus proxima rura suis.
At quia maius erat senior, translata repentè
Aruit, & proles cum genitrice obijt.
Heu malè transfertur senio quum induruit arbor,
Inquit herus, fuerat carpere poma satis.

Morale eiusdem.

Qui nimium sapiunt, atque inconcessa sequuntur.
Desipiunt: cohibet qui sua vota sapit.

FABVLÆ M. PETRO SCOTO, VIRO ORNATISSIMO, EIDEMQVE HVMANISSIMO, SCRIPTAE A BARLANDO.

¶ De leone, & rana. 24

AVDIRE *vocem visus leo prosilijt: subsistit non sine trepidatione, magni quippiam expectans: egreditur tandem aquis ranula. Leo deposito metu appropians, bestiolam proculcat pedibus.*

Vetat hic apologus inanes timores, vt illa à Gulielmo Gaudano versa fabula de partu montium.

¶ De formica. 25

SITIENS *venit ad fontem vt biberet formica, incidit fortè in puteũ: opitulatur eminus, ex arbore deiecto ramo, columba. Ramum conscendens formica seruatur. Adest, columbam vt capiat, auceps: non sinit formica, aucupis pedem arripit mordicus, auolat columba.*

Docet fabula, præclarè meritis referendam esse gratiam.

¶ De pauone, & pica. 26

GENS *auium quum liberè vagaretur, optabat sibi dari regem. Pauo se in primis dignum qui eligeretur putabat, quia esset formosissimus. Hoc in regem accepto, pica: O rex, inquit: si te imperante aquila nos perstrenuè, vt so-*

vt solet, insequi cœperit, quo illam modo abiges? quo nos pacto seruabis?

In principe non tam forma, quàm corporis fortitudo spectanda est, & prudentia.

¶ De ægroto, & medico. 27

MEDICVS *curabat ægrotum, ille tandem moritur. Tum ad cognatos medicus: Hic, inquit, intemperantia perijt.*

Bibacitatẽ & libidinẽ nisi quis maturè reliquerit, aut nũquã pueniet ad senectutem, aut perbreuẽ est habiturus senectutẽ.

¶ De leone, & alijs. 28

LEO, *asinus, vulpes eunt venatum: capitur ampla venatio: capta partiri iussa. Asino singulas singulis parteis ponente, irrugit leo: asinum rapit, ac laniat. Postea vulpeculæ id dat negotij: quæ astutior, cùm leoni longè optima proposita parte, sibi vix minimam particulam reseruasset, rogat leo à quo sic docta sit: cui illa: Huius me, inquit, calamitas docuit, mortuum asinum ostendens.*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

¶ De hœdo, & lupo. 29

FENESTRA *prospectans hœdus, prætereuntem lupũ conuitijs incessere audebat: cui lupus: Non tu, ait, scelestæ mihi conuiciaris, sed locus.*

Et tempus & locus sæpe audaciam addunt homini.

¶ De asino. 30

ASINVS *de hortulani sæuitia querens, Ioui supplicabat alium dari herum. Exaudire Iupiter vota asini, dat tegularium. Apud quem cùm tegulas, grauioraq́; tergo vectaret onera, accessit rursus Iouem, orat dari qui mitior sit. Ridere Iupiter: ille tamen nõ destitit instare, orare vsqueadeo donec perpelleret. Dat ille coriarium: quem vbi pernouit asellus: Me miserum, inquit, qui dũ*

nullo sum cõtentus domino, in eum inciderim, qui ne corio quidem meo, quantum auguror, parcet.

Semper damnamus quę præsentia sunt: & noua appetimus, quæ (vt dici solet) veteribus non sunt potiora.

¶ De anu, & ancillis. 31

ANVS *quædam domi habebat ancillas cõplureis, quas quotidie antè quàm lucesceret, ad galli gallinacei, quem domi alebat, cantum excitabat ad opus. Ancillæ quotidiani tãdẽ negotij cõmotæ tædio, gallũ obtrũcant, sperantes iam necato illo in medios sese dies dormituras: sed hæc spes miseras frustrata est: hera enim vt interemptũ gallũ rescivit, intempesta deinceps nocte surgere iubet.*

Non pauci grauius malum dum student euitare, in alterum diuersum incidunt. Peruulgatum est: Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

¶ De asino, & equo. 32

ASINVS *beatũ putabat equũ, quòd pinguis esset, & in otio degeret: se vero infelicem dicebat, quòd macilentus esset, ac strigosus, quotidie ferendis oneribus ab immiti hero exerceretur. Haud multò pòst ad arma conclamatum est. Tum equus non equitem dorso, non franũ repulit ore, nec telum corpore: hoc viso, asinus magnas dijs gratias agebat, quòd non equum se, sed asinum fecissent.*

Miseri sunt quos vulgus beatos iudicat, & non pauci beati, qui se miserrimos putant. Sutor crepidarius regem dicit felicem, quem omnium rerum compotem videt, non considerans in quãtas rex solicitudines distrahatur, dum interim ipse optima cum paupertate cantillet.

¶ De leone, & capra. 33

EDITA *rupe ambulantem capram fortè conspicatus leo, monet vt potius in viride pratum descendat. Capra: Facerem fortaßis, inquit, si tu abesses, qui mihi non istud suades, vt ego inde vllam capiam voluptatem, sed*

vt

vt tu habeas quod vores famelicus.

Omnibus ne habeas fidem: quidam enim non tibi, sed sibi consulunt.

¶ De vulture, alijsque auibus. 34

ANNVVM *se natalem celebrare adsimulat vultur, auiculas ad cœnam inuitat, veniunt pleræque omnes, venientes magno plausu, fauoribusque accipit, acceptas laniat vultur.*

Non sunt amici omnes, qui blandè dicunt, aut benignè se facere velle simulant: latent sub hoc melle venena.

¶ De anseribus. 35

ANSERES *vnà cum gruibus agrum vastabant: quibus auditis, rustici protinus in illos feruntur. Rusticos conspicatæ auolant grues, capiuntur anseres, qui impediti corporis onere subuolare non poterant.*

Expugnata ab hostibus vrbe, facilè se subducit inops, at diues seruit captus. In bello diuitiæ magis oneri sunt quã vsui.

¶ De Ioue, & simia. 36

IVPITER *scire percupiens, quisnam mortalium scitissimos ederet liberos, conuocari iubet quicquid vspiam est animantium. Concurritur ad Iouem vndique: aderat iam alitum, pecudumque genus: inter quos & simia, deformes catulos brachio gestans, cùm aduenisset, à risu nemo temperare potuit, quinetiam Iupiter ipse profusè admodum risit. Ibi continuò simia ipsa: Imò, inquit, nouit et Iupiter iudex noster catulos meos magnopere omnes quotquot adsunt, præcellere.*

Suũ cuique pulchrũ, vt est adagium. Et alibi apud Theocrit. in Idyl. Quæ minimè sunt pulchra, ea pulchra vidẽtur amãti.

ANIANI FABVLÆ IIII. ADRIANO BARLANDO INTERPRETE.

¶ De quercu, & arundine. 1

FACTVS *olim atque adeo insolentiæ plena quercus, arundinem aggressa est: Si nunc, inquiens, pectus animosum tibi, procede agedum ad pugnam, vt noster duarum euentus ostendat, vtra viribus præstet: arundo quercus cantum, exultationem, fortitudinisque iactationem vanam nihil mirata, sic respondit: Certamen nunc abnuo, nec meæ sortis me piget: Nam etsi in omnẽ partem mobilis, tẽpestates tamen peruinco sonoras: tu, si semel vasto rex Aeolus antro luctantes emiserit ventos, concides, & mihi tum rideberis.*

Declarat hæc fabella, non eos semper fortissimos esse, qui nulla etiam lacessiti iniuria, alijs insultant.

De piscatore, & pisciculo. 2

PISCATOR *iacto in aquam hamo cibis illito, pisciculum eduxit: orat obsecratque captiuus, se minutulum vti abire sinat, et adolescere, vt postea maiore potiatur. Piscator: Ego, inquit, spem pretio non emo, quippe qui eo fuerim ingenio semper, vt quicquid possem, mallem auferre potius in præsentia.*

Hæc nos monet fabella, ne certa vnquam incertorũ spe vnguibus amittamus. Quid enim stultius (vt est apud Ciceronem) quàm incerta pro certis habere?

¶ De formica, & cicada. 3

APPETENTE *hyeme frumentum in areolam ad solem trahebat formica: videt id cicada, accurrit, rogitat granum: formica, Cur non, inquit, & tu meo exemplo æstate trahis quodcunque potes, atque addis aceruo? Respondet illa, sibi id temporis cantando transigi. Ridens formica: Si ait æstate cantitare soles, nunc esuris.*

Monemur hac fabula, dum adhuc robur corporis adest, quęrere ea, quibus imbecilla sustentetur senectus. Per hyemem senectutẽ intellige. Per æstatẽ adolescentiam, & florẽ illũ ætatis.

De

¶ De leone, & tauro. 4

LEONEM *fugitabat taurus, in hircum incidit: is cornu & caperata minitabatur fronte: ad quem plenus iræ taurus: Non tua, inquit, in rugas cõtracta frons me territat, sed immanem metuo leonem, qui nisi tergo hæreret meo, iam scires non ita paruam rem esse pugnare cũ tauro, & nostro sequi de vulnere sanguinem.*

Calamitosis nõ est addenda calamitas. Sat miser est, qui semel est miser.

ANIANI FABVLÆ TRIGINTA OCTO, GVLIELMO HERMANNO DIVI AVGVSTINI ORDINIS CANONICO INTERPRETE.

¶ De nutrice, & lupo. 1

NVTRIX *minatur puerum plorantem, ni taceat, dari lupo. Lupus id forte audit, spe cibi manet ad fores. Puer tandem silescit obrepente somno. Regreditur lupus in syluam ieiunus & inanis: lupa vbi sit præda, sciscitatur. Gemebundus ille: Verba inquit mihi data sunt: puerum plorantem se abijcere minabatur nutrix, at fefellit.*

Fœminæ non est habenda fides.

¶ De testudine, & aquila. 2

CEPERAT *testudinem tædium reptandi. Si quis eã in cælum tolleret, pollicetur baccas maris rubri. Sustollit eam aquila, poscit præmium. Non habentem, fodit vnguibus. Ita testudo, quæ concupijt videre astra, in astris vitam reliquit.*

Tua sorte sis contentus. Fuere nonnulli qui si mansissent humiles, poterant esse tuti: facti sublimes, incidecũt in pericula.

¶ De cancris, matre, & filio. 3

CANCRVM *retrogradũ monet mater antrorsum vt*

tat: filius respondet: Mater, inquit, i præ, sequar.

Nullum reprehenderis vitij, cuius ipse queas reprehendi.

¶ De Sole, & Aquilone. 4

SOL, *& ventus aquilo certant, vter sit fortior. Conuentum est experiri vires in viatorem, vt palmam ferat, qui excusserit manticam. Boreas horrisono nimbo viatorem aggreditur: at ille non desistit, amictum gradiendo duplicans. Adsunt vices solis, qui nimbo paulatim euicto, emolitur radios: incipit viator æstuare, sudare, anhelare. Tandem progredi nequiẽs captat frigus opacum, atque sub frondoso nemore abiecta mantica, resedit: ita Soli contigit victoria.*

Quicum certes, etiam atque etiam vide. Nam & si tu fortis es, est forsitan alius te fortior. Aut si non fortior, certe callidior vt consilio suo tuum vincat robur.

¶ De asino. 5

ASINVS *venit in syluam, offendit exuuias leonis: quibus indutus redit in pascua, greges armentaque territat, & fugat. Venit qui perdiderat, quæritat suum asinum. Asinus viso hero occurrit, imò cum rugitu suo incurrit. At herus prehensis quæ extabant auriculis: Alios licet, inquit, fallas, ego te aselle mi probè noui.*

Quod non es, nec te esse simules. Non doctum cum sis indoctus, non diuitem, non nobilem, cum sis pauper & ignobilis, te iactes. Vero enim comperto rideberis.

¶ De rana, & vulpe. 5

RANA *egressa paludem, in syluis apud feras medicinã profitetur. Ait se nec Hippocrati, nec Galeno cedere. Cæteris habentibus fidem illusit vulpes. An hac, inquit, medicina habebitur perita, cui sic pallet os? Quin curat seipsam? Sic illusit vulpes. Est enim rana os cæruleo colore.*

Sultitiæ est profiteri quod nescias, & ridiculum.

De

¶ De cane mordaci. 7

CANI *subinde homines mordenti, vt sibi quisque caueret, alligauit dominus nolam. Canis ratus virtuti suæ tributum decus, suos populares despicit. Accedit ad hūc canum aliquis iam ætate, atque autoritate grauis, monēs eum ne erret: Nam ista, inquit, nola data est tibi in dedecus, non in decus.*

Gloriosus interdum sibi ducit laudi, quod ipsi est vituperio.

¶ De camelo. 8

CAMELVS *sui pœnitens, querebatur tauros insignes ire geminis cornibus, se inermem obiectum cæteris animalibus. Orat Iouem donari sibi cornua. Ridet Iupiter stultitiam cameli, nec modò votum negat, verùm & auriculas bestiæ decurtat.*

Sit quisque fortuna contentus sua. Etenim multi fortunam sequuti meliorem, incurrêre peiorem.

¶ De duobus amicis, & vrso. 9

DVO *amici faciunt iter. Occurrit in itinere vrsus. Vnus arbore conscensa, pericula euitat: alter quum spes fugæ non esset, collidit se humi. Accedit beluà, contrectat iacentem, os explorat & aures. Homine spiritum continente ac motum, vrsus qui mortuis parcit, ratus cadauer esse, innocuus discedit. Percunctanti posteà socio, quidnam bestia dixisset iacenti in aurem: hoc monuisse ait, ne vnquam cum illiusmodi amicis iter faceret.*

Rara auis in terris, nigroque simillima cycno, fides est. Verū amicum res aduersæ & pericula monstrant.

¶ De equite caluo. 10

EQVES *caluus illigarat pileo comam factitiam. Venit in campum, acri spirante Borea: ac dum male obseruat capillatum galerum, subitò apparet caluities. Tollit cachinnum corona, nec non & ipse ridet. Quid noui est, inquit,*

inquit, auolare capillos alienos, quum olim defluxerint, qui fuerant mei.

Bellè fecit eques, qui non est indignatus, sed cum ridentibus risit. Socrates verò cùm accepisset in foro alapam, hoc modo respondit, Molestũ esse nescire homines, quando debeāt prodire cum galea.

¶ De duabus ollis. 11

DVÆ *ollæ stetêre in ripa: altera erat lutea, altera ærea: vtrãque tulit vis fluuij. Luteæ collisionem metuenti respondet ærea, ne quid timeat, sese enim ne collidãtur satis curaturã. Tum altera: Seu me, inquit, tecũ, seu te mecũ flumen colliserit, cum meo vtrunque fiet periculo. Quare certum est à te separari.*

Satius est viuere cum socio pari, quàm cum potentiori. A potentiori enim potest esse periculum tibi, non illi à te.

¶ De rustico, & fortuna. 12

RVSTICVS *quum araret offendebat in sulcis thesaurum. Gratias agit Telluri, quæ hunc dedisset. Fortuna videns nihil honoris haberi sibi, ita est secum loquuta: Thesauro reperto stolidus mihi non est gratus: at eo ipso thesauro postea amisso, me primam omnium votis & clamore solicitabit.*

Beneficio accepto grati simus bene de nobis merenti. Ingratitudo enim digna est etiam beneficio, quod iam acceperit, priuari.

¶ De tauro, & capro. 13

FVGIT *leonem taurus, venit ad speluncam, quærens latibulum: intranti occursat cornibus, qui intus erat caper. Tum his verbis bos emugit: Tu quidem cornibus tuis meam excipis fugam: verùm si abierit quem fugio, quantum à viribus tauri distet caper, tum senties.*

Qui nescit miseris esse succurrendum, aut certè non nocendum, caper est. Quisquis enim à miserorum iniuria non temperauerit, si (vt est fortuna mutabilis) miseris redierit felicitas,

nimi-

nimirum nocuisse miseris eum pœnitebit.

¶ De simia, & eius prole. 14

OMNEIS *animantes suo conspectui Iupiter adesse iusserat, cuiusnam soboles esset pulcherrima iudicaturus. Properant feræ, aduolant aues, necnon ad id certamen adnatant pisces. Omnium postrema festinat simia, trahens secum suam prolem. Cuius quidem prolis fœdas nates cũctis ridentibus, sic infit: Maneat, cui fauerit Iupiter, victoria. Meo tamen iudicio, hic meus natus est bellus, & omnium natis iure præferendus. Hoc dicto subrisit & Iupiter.*

Et nos & nostra nobis placent. Sed de nobis & de nostris factis aliorũ fit iudiciũ: ne si ipsi iudicemus, cũ simia rideamur

¶ De pauone, & grue. 15

PAVO *& grus vna cœnant. Pauo se iactat, caudam ostentat, gruem contemnit. Grus fatetur pauonem formosis esse pennis: se tamen dum vix tectis superuolat pauo, animoso volatu penetrare nubes.*

Nemo alterum contempserit. Sua cuique dos, sua cuique est virtus. Qui tua virtute caret, forsan habet qua careas tu.

¶ De quercu, & arundine. 16

VALIDIORE *Noto effracta quercus, in flumẽ præcipitat. Dumque fluitat, hæret fortè ramis suis in arundine, miratur arundinem in tanto turbine stare incolumem. Hæc respondet, cedendo, & declinando se esse tutam, inclinare ad Notum, ad Boream, ad omnem flatũ. Nec mirum esse quòd quercus exciderit, quæ non cedere, sed resistere concupiuit.*

Potentiori ne resistas, sed hunc cedendo & ferendo vincas. Quod pulchrè docet facundissimus poëtarum Vergilius:

Nate Dea, quò fata trahunt retrahuntque sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

¶ De tigride, & vulpe. 17

Ve-

VENATOR *iaculis agitabat feras. Tigris iubet omnes feras absistere, sese vnam ait bellum confecturam. Pergit venator iaculari. Tigris oppidò sauciatur. Fugientē è prælio, telumque extrahentem, percunctatur vulpes quisnam valentem beluā tam validè vulnerasset. Respondit se autorē vulneris haud nosse, verùm ex vulneris magnitudine capere se coniecturam, aliquē fuisse virū.*

Fortes plerunque sunt temerarij, & ars vim, ingenium fortitudinem superat.

¶ De tauris, & leone. 18

QVATVOR *fuere tauri, quibus placuit communem ipsorum esse salutem, & commune periculum. Videt leo simul pascentes: etsi esurit, tamen coniunctos aggredi metuit. Primùm dat operam verbis fallacibus segregare, tum segregatos laniat.*

Concordia nihil est firmius, discordia etiam fortes reddit imbecilles.

¶ De abiete, & dumo. 19

FERTVR *olim abies despicere dumos, iactitat se proceram esse, locari in ædibus, cum velo stare in nauibus, dumos autem humiles, viles, nulli vsui idoneos. Quorū quidem tale fuit responsum: Tu sanè abies tuis gloriare bonis, vt nostris insultes malis. Verùm nec tua refers mala, & nostra præteris bona. Cum tu sonanti detruncare securi, quàm velles tum nobis, qui securi sumus, esse te similem?*

Et summæ fortunæ sua insunt mala, & humili fortunæ sua bona. Vt nil aliud nūc dicā, hæc secura est ac tuta: illa nec extra metum est, nec caret periculo. Horatius canit in lyricis: Celsæ grauiore casu Decidunt turres, feriuntque summos Fulgura montes.

¶ De piscatore, & pisciculo. 20

SVBDVCTVS *hamo pisciculus, orat piscatorem se di-*

dimitti. Ait modò se à matre fusum, atque mensam, cũ adhuc minutus sit, non multum iuuare. Si dimittat, postea grandem vltrò ad hamum eius rediturum. Piscator negat se dimittere prædã certã, licet exiguã. Quid habeam, inquit, scio. quid sim habiturus, nescio. Ego spem pretio non emo.

Certum præstat incerto, presens futuro, etsi nonnunquam exile commodum amissum attulit magnum.

¶ De alite, & pullis eius. 21

ALES *positos in segete pullos monet, vt dum ipsa abest, diligenter attendant, si fiat sermo de occatione. Redeunti è pastu matri pulli anxij narrant dominum agri operam illam mandasse vicinis. Respondet nihil esse periculi. Idem alio die trepidi, aiunt rogatos ad metendũ esse amicos: iterum iubet illa vt sint securi. Tertiò vt audiuit ipsum dominum cum filio statuisse postero mane cũ falce messem intrare: Iam, inquit, tempus est vt fugiamus. Vicinos & amicos non timui, quia non venturos sciui. Timeo dominum, illi enim res est cordi.*

Secordes alienis in rebus plerique sumus: Quod si quid rectè curatum velis, alteri ne mandes, sed cures ipse.

¶ De auaro, & inuido. 22

DVO *homines orabant Iouem, cupidus & inuidus. Mittitur à Ioue Apollo, per hunc vt eorum votis satisfiat. Dat hic vtrique optandi facultatem ac conditionẽ: vt quodcunque petisset alter, idipsum alter acciperet duplicatum. Hæret diu cupidus, cùm nihil putat fore satis. Petit tandem non pauca. Et duplum accipit socius. Porrò inuidus hoc petit, vt ipse vno priuetur oculorum, lætus socium mulctandum esse vtroque.*

Auaritiam quid posит satiare? Inuidia verò dementius est nihil, Quę dũmodo noceat alteri, sibimet imprecatur malum.

De

¶ De leone, & capella. 23

VIDIT leo pendere dumosa de rupe capellam. Suadet descendere, vt in campo thymum salicesque carpat. Recusat capella descendere, verba quidem eius haud sanè mala, sed mentem esse plenam doli reclamans.

Cogita quis quid suadeat, multi suadēt vtilia, nō tibi, sed sibi.

¶ De cornice, & vrna. 24

SITIBVNDA cornix reperit vrnam aquæ. Sed erat vrna profundior, quàm vt posset à cornice aqua contingi. Conatur effundere vrnam, nec valet. Tum lectos ex arena scrupulos iniectat. Hoc modo aqua leuatur, & cornix bibit.

Interdum id, quod non potes efficere vi, efficies prudentia & consilio.

¶ De leone, & venatore. 25

LITIGAT leo cum venatore, suam præfert fortitudinem hominis fortitudini: post longa iurgia, venator ducit leonem ad Mausoleum, in quo sculptus erat leo, caput deponens in gremium viri. Negat fera id satis esse iudicij: homines enim sculpere quod vellent, ait: quòd si & leones forent artifices, iam virum sculptum iri sub pedibus leonis.

Quisque quoad potest, & dicit, & facit quod suæ parti, & causæ putet prodesse.

¶ De puero, & fure. 26

SEDEBAT puer flens ad puteum. Fur rogat causam flendi. Puer dicit, rupto fune incidisse in aquas vrnam auri. Homo exuit se, insilit in puteum, quærit. Vase nō inuento, conscendit, atque ibi nec puerum, nec suam inuenit tunicam. Puer quippe sublata tunica fugerat.

Falluntur interdum qui fallere solent.

¶ De rustico & iuuenco. 27

Erat

ERAT *rustico iuuencus, vinculi omnis, iugiq́ue impatiens. Homo astutulus, bestiæ resecat cornua. Cornibus enim petebat. Tum iungit non currui, sed aratro: ne, vt solet, herum pulsaret calcibus. Stiuam ipse tenet, gaudẽs industria effecisse, vt iam foret tutus, & à cornibus & ab vngulis. Sed quid euenit? Taurus subinde resistens spargendo pedibus, os, caputq́ue rustici opplet arena.*

Sunt nonnulli sic intractabiles, vt nulla queant arte, nullo consilio tractari.

¶ De satyro, & viatore. 28

SATYRVS, *qui Deus nemorũ olim est habitus, viatorem niue obrutum, atque algore enectum miseratus, ducit in antrum suum, fouet igni. Spirãtem autem in manus percunctatur causam. Qui respondens: Vt calefiant, inquit. Postea cùm accumberent, sufflat viator in polenta. Quod cur faceret, interrogatus: Vt frigescat, inquit. Tum continuò Satyrus viatorem eijciens: Nolo, inquit, in meo sit antro, cui tam diuersum est os.*

Caue sit in tuo conuictu homo duplici ore, quiq́ue in sermone est Proteus.

¶ De apro, & rustico. 29

APRO *vastãti segetes, rusticus præcîdit auriculã. Iterũ deprehenso, præcîdit alterã. Et tũc quoque redeũtem capit, captum portat in vrbem destinatum lautitiæ sui patroni. Secta iam in conuiuio belua, nusquam apparet cor. Excandescente hero, & flagitante cocos, villicus respondet: Patrone, inquit, non est mirum non apparere cor: nam credo stultum aprum nunquam cor habuisse. Nam si cor habuisset, nunquam in pœnã suam ad meas segetes toties redisset. Sic rusticus. At omnes conuiuæ emori risu, cachinnari de stultitia rustici.*

Multorum hominum tam est excors vita, vt an cor habeant poßis ambigere.

¶ De tauro, & mure. 30

MVS *tauri pedem momorderat fugiens in antrũ suũ. Taurus vibrat cornua, quærit hostem, nusquam videt: irridet eum mus: Quia, inquit, robustus es ac vastus, non idcirco quemuis contempseris. Nunc te, & quidem gratis læsit exiguus mus.*

Tritum est illud verbum, quod significantius nostrate lingua dixerim: *Nyemandt sal verachten sijnen viandt.* Latinè sic: Nemo suum hostem flocci pendat.

¶ De rustico, & Hercule. 31

RVSTICI *currus hæret in profundo luto. Mox supinus Deum Herculem implorat. Intonat vox è cælo: Inepte, inquit, flagella equos, & ipse annitere rotis, atque tũ Herculem vocato, tũ enim aderit Hercules vocatus.*

Nihil prosunt otiosa vota, quæ sanè Deus non audit. Iuua temet, inquiunt, ipse tum iuuabit te Deus.

¶ De ansere. 32

FVIT *anser qui ponebat oua aurea singulis diebus singula: dominus vt subitò fiat diues, anserem iugulat, sperans intus latêre gazam. Sed ansere inuento vacuo, stupet miser, anxieque dehinc suspirat, ac plangit, & rem, & spem perijsse.*

Moderanda sunt vota. Curandum est ne vel præproperi simus, vel nimij. Nam & festinantia nocet, & qui plura quàm decet quærit, interdum acquirit nihil.

¶ De cicada, & formica. 33

CVM *per æstatẽ cicada cantat, formica suã exercet messem, trahit in antrũ grana, reponens in hyemẽ. Sæuiente bruma, famelica cicada venit ad formicã, mẽdicat victũ. Renuit formica, dictitãs, sese dũ illa cãtabat laborasse.*

Qui segnis est in iuuenta, egebit in senecta; & qui non parcit olim mendicabit.

¶ De simia, & duobus eius natis. 34

SIMIA, *vt ferunt, cùm peperit gemellos, alterum diligit, alterum negligit. Erat puerpera cum gemellis. Atque cùm incidisset terror, vitatura periculum, dilectum prehendit vlnis, quem dum præceps fugitat, collidit petræ, atque enecat: neglectus autem, qui in hirsuto hæserat tergo fugientis, mansit incolumis.*

Solet euenire, vt ipsi parentes filio, quem temerè amant, præ nimia indulgentia sint mali occasio & periculo, eo, quem minus amarunt, præstante se strennuum ac probum.

¶ De boue, & iuuenco. 35

BOS *iam grandis æuo quotidie trahebat aratrum. Iuuencus laboris expers, vicinis exultat in pascuis, ac tandem insultat fortunæ senioris. Iactat se iugi ac vinculi inscium, se liberum, se otiosum, illi attritum esse labore collum. Denique se glabrum ac nitidum, illum esse hirsutum ac squalidum. Senior tum quidem nihil contrà. Sed breui pòst tempore videt hunc insultorem duci ad aras, ac tum hisce verbis affatur: Quò tua mollis vita peruenit? securum istud otium rediit ad securim. Iam saltem (vt opinor) potius suades mihi laborem, qui me tuetur, quàm ocium, quod nunc te traxit ad necem.*

Ad vitã rectè gerendã opus est labore & vigilantia. Secors autẽ & voluptati deditus, suarũ rerũ, quem nolet, sortietur exitũ.

¶ De cane, & leone. 36

OCCVRRIT *canis leoni, iocatur: Quid tu miser exhaustus inedia percurris syluas & deuia? Me specta pinguem ac nitidum: atque hæc non labore consequor, sed otio. Tum leo: Habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolidè etiam vincula. Tu seruus esto, qui seruire potes: equidem sum liber, nec seruire volo.*

Pulchrè respondit leo. Quibuslibet enim rebus potior est libertas.

¶ De piscibus. 37

PISCIS fluuialis vi fluminis correptus est in mare. Vbi suam efferens nobilitatem, omne marinum genus vili pendebat. Non tulit hoc phoca, sed ait tum fore iudicium nobilitatis, si cum phoca captus portetur ad forum. Se emptum iri à nobilibus, illum autem à plebe.

Multi sic capti sunt libidine gloriæ, vt sese ipsi prædicent & iactent: sed laus sui oris non datur homini laudi, ac excipitur cum auditorum risu.

¶ De pardo, & vulpecula. 38

PARDVS, cui pictũ est etiã tergũ, cæteris feris, etiam leonibus despectis, intumescebat. Accedit ad hunc vulpecula, suadet non superbire, dicens, illi quidem speciosam esse pellem, sibi verò speciosam esse mentem.

Discrimen est bonorum & ordo. Bona corporis præstãt bonis fortunæ. Vtrisque illis animi bona præferantur oportet.

ÆSOPI FABVLATORIS CLARISSIMI APOLOGI, E GRÆCO LATINI PER RIMICIVM FACTI.

ARGVMENTVM.

AESOPVS fabulator clarißimus, natione quidem Phryx, fortuna verò, seruus fuit, colore niger, ac facie supra modum deformis. Is quia beneficus semper in hospites fuit, Dea hospitalis in somnis sibi aßistens, largita est loquelã (nam ab initio blatero fuit) sapientiãq;, ac variarum fabularum inuentionem: quæ porrò fabulæ non parùm conducunt mortalium vitæ. Nam animalia bruta fingit agere ea, quæ hominum sunt actiones: quas ita ante oculos ponit, quòd audientium animos incitet ad virtutem: nec vlli sunt hominum mores, quos in bru

tis fingendo ipse non aperias. Has igitur fabulas, si quis ritè gustauerit, quam viam sequi, quamque vitare debeat, in priuatis publicisque negotijs facilè comperiet. Nam in primis fabulam narrat: tum quid fabula significet, compendiosiùs exponit. Atque ordinem alphabeti in Græco sequutus, qui in Latino sermone seruari non potest, hinc sumit initium.

¶ De Aquila, & vulpe. I

AQVILA *& vulpes conflata inter se amicitia, in proximo habitare constituunt, firmiorem amicitiã ex frequenti conuersatione fore putantes. Igitur aquila nidum alta super arbore instituit. Vulpes verò arborem propter, inter dumeta catulos collocat. Vna igitur dierũ quum vulpes latibulum egressa pastum catulis quæreret, aquila & ipsa cibi indiga, in latibulum deuolans, vulpis catulos arripuit, ac pullus suis comestum præbuit. Vulpes reueniens, cognita filiorum morte atroci, valde tristata est. Et cùm aquilam vlcisci non posset, quia quadrupes existens volucrem persequi nequibat, quod vnũ miseris ac impotentibus datur, aquilam execratur, ac mala sibi imprecatur: tantum in odium, cùm violatur, vertitur amicitia. Contigit igitur illis diebus ruri capras immolari, cuius frustum vnà cum carbonibus accensis aquila arripiens sustulit ad nidum. Sed vento vehementius spirante, nidus qui ex fœno ac materia exili aridaque confectus erat, incenditur. Aquilæ pulli flammam sentientes, cùm volare adhuc nequirent, humi decidunt. Vulpes confestim illos arripiens, in aquilæ conspectum deuorat.*

Fabula significat, quòd qui amicitiam violant, quãuis quos læserint, vltionem declinent, Dei suppliciũ nõ tamẽ effugiũt.

¶ De aquila, & coruo. 2

AQVILA *celſa ex rupe deuolans, agnum ex ouiũ grege arripuit. Quam rem coruus conſpicatus, æmulatione motus, vehementi cum ſtrepitu ac ſtridore deuolat in arietem, atque vngues in arietis vellus ita implicat, quòd inde etiam motu alarum ſe explicare non poſſet. Hunc paſtor cùm ita implicitum videt, accurrens coruũ comprehendit: atque alarum pennis inciſis, pueris ſuis pro ludibrio dedit. Verùm enim cùm quiſpiam coruum rogaret, quænam volucris eſſet, coruus ait: Prius equidem quoad animum, aquila fui, nunc verò me coruum eſſe certò cognoſco.*

Fabula ſignificat, quòd qui ſupra vires quippiam audet, hoc ſolum efficit, quod in aduerſa ſæpius incidit, ac ſe vulgo ridiculum exhibet.

¶ De Aquila, & ſcabrone. 3

AQVILA *leporem perſequebatur. At lepus auxilij inops quem tempus obtulit ſcabronem videns, ab eo auxilium implorauit. Cui ſcabro pollicitus eſt tutelam ac cuſtodiam ſuam. Deinde quum aquilam propinquãtem ſcabro conſpicatur, eam precatur, ne ſuũ ſibi eripiat ſeruum. At aquila ſcabronis paruitatem contemnens eo coram leporem exedit. Verùm ſcabro ſuæ iniuriæ memor, vbi aquila nidificaret obſeruat. Ecce aquila oua parit. Scabro alis elatus, ad aquilæ nidum volat, atque oua deuoluens, humi deijcit. Aquila iacturæ ouorum mœrore concita, euolat ad Iouem (eſt enim ales Deo illi ſacrata) ac locum ad pariendum ſibi tutum dari precatur. Iupiter ſibi concedit, vt cùm tempus adeſt, eius in ſinu pariat oua. Hoc ſcabro prouidens, globum è ſtercore conficit: atque ſurſum euolans, in Iouis ſinum demiſit. Iupiter,*

ter volens è sinu globum excutere, oua aquilæ simul excussit. Extunc aiunt aquilam nunquam parere, quo tempore scabrones existunt.

Fabula significat, quod nullus porrò est contemnendus: quoniam nemo est qui iniuriam accipiat, quin quum tempus datur, se vlcisci non quærat.

¶ De philomela, & accipitre. 4

PHILOMELA *quum alta quercu sederet, more suo, sola canebat. Eam accipiter cibum quæritans, quum intueretur, repentè deuolat, illamque rapit. At philomela cùm se interitum iri videt, accipitrem precatur vt se missam faciat, quoniam ad explendum eius ventrem ipsa satis minima sit: sed pro saturitate sua ad maiores aues vt se vertat opus profectò fore. Eam accipiter toruè conspiciens ait: Stultus equidem nimium essem, si quem manibus teneo cibũ, illũ dimitto amplioris spe pastus.*

Fabula significat, quòd qui omittunt id quod manu tenent rerũ maiorum spe, consilio inopes ac ratione nimiùm sunt.

¶ De vulpe, & trago. 5

VVLPES *& tragus sitientes in quendam puteũ descenderunt. Verùm enim post potum quũ egressum conspiceret hircus, vulpes ei comiter ait: Bono sis animo: nã quid saluti nostræ opus sit, probè animaduerti. Si enim rectus stabis, ac pedibus anterioribus cornibusúe muro adhærebis, tuas ego scapulas cornuaq; conscendens, quũ egressa puteum fuero, te manu comprehendens hinc desuper traham. Huic caper promptè deseruiuit. Vulpes suo exultans egressu circa os putei capro illudebat. At dum caper illã incusat, sibi pacta haud seruasse, ei facetè vulpecula inquit: Si ea caper sapientia præditus esses, quo pilorũ ornatu isthæc tua barba referta est, non prius in puteũ descendisses, quàm egressus pensiculatè vidisses.*

Fabula significat, quòd homines consilio prædíti, rerum fines prius inspiciunt, quàm dent operam rebus gerendis.

¶ De vulpe, & leone. 6

VVLPES *quæ nunquam viderat leonem, quum illi fortè obuiasset, adeo pertimuit, vt mortem penè obiret. Rursum illum quũ aspexisset, pertimuit, sed minimè vt primùm. Eum tertiò quum intuetur, propè accedẽs, fuit ausa coràm differere.*

Fabula significat, quòd rerum terribilia, vsus & consuetudo domestica facit.

¶ De cato, & gallo. 7

CATVS *cum gallum cepisset, atque causam quæreret quî eum comedere posset, illum criminari cœpit, quòd esset animal turbulentum, qui noctu clamitando haud permitteret quiescere mortales. Gallus se excusabat, quòd id ageret ad eorum vtilitatem, cùm ad opera facienda illos excitaret. Rursum catus ait: Impius es ac supra modum scelestus, qui agis continuè contra naturã, cùm nec à matre, nec à sororibus te abstineas, sed per incontinentiam cum illis te commisceas. Gallus item defendebat, quòd domini sui quæstus gratia, id quoque ageret: enimuero ex huiusmodi coitu, gallinæ pariũt oua. Tunc inquit catus: Excusationibus licet abundes, ego tamen ieiunare haud intendo.*

Fabula significat, quòd qui prauus existit natura, cùm semel delinquere animo proposuit, quamuis causæ desit pretextus, à prauitate tamen non desistit.

¶ De vulpe sine cauda. 8

VVLPES *vt è laqueo euaderet, abscissa cauda, cùm è pudore vitam sibi mortem putaret, excogitauit alias dolo inducere vulpes, vt sub communis commodi specie, sibi singulæ caudam abscinderent, & sic suum dedecus leuaret. Itaque ad vnum vulpibus congregatis suadet vt*

caudam sibi abscindant, differens caudam nō modo dedecori vulpibus esse, sed oneri graui atque inepto. E vulpibus vna ei facetè respondit: Heus soror, si res ista tibi soli conducit, tū itidem alijs consulere haud est æquum.

Hæc fabula ad eos spectat, qui sub charitatis specie, suum commodum consulendo prospiciunt.

¶ De piscatore, & Smaride pisciculo. 9

PISCATOR *quod mari rete tetendit, eo smarida cepit pisciculū, qui parua adhuc ætate piscatorem orabat, vt dum grandis esset, atque maiorem quæstum ex eo assequi posset, eum vita donaret. Huic piscator lepidè respondit: Ego quidem mente carerem, si quod minimum mihi est lucrum, id dimitterem amplioris spe quæstus.*

Fabula significat, quòd certa pro incertis, quamuis in eis magna insit spes, stultum est dimittere.

¶ De vulpe, & rubo. 10

VVLPES *cùm sepem quandam ascenderet, vt periculum vitaret, quod sibi imminere videbat, rubum manibus comprehendit, atque volam sentibus perforauit: & cùm grauiter saucia foret, gemens inquit ad rubū: vt me iuuares, cùm ad te confugerim, tu deterius me perdidisti. Cui rubus: Errasti vulpes, ait, quæ pari dolo me capere putasti, quo cætera capere consueuisti.*

Fabula significat, quòd stultum est implorare auxiliū ab illis, quibus à natura datū est obesse potius, quā alijs prodesse.

¶ De vulpe, & crocodilo. 11

VVLPES *& crocodilus de nobilitate contendebāt: cū crocodilus multa pro se adduceret, ac supra modum se iactaret de splendore progenitorum suorū, vulpes ei subridens ait: Heus amice, etsi hoc tu quidem non dixeris, ex tuo corio clarè apparet, quòd multis iam annis, tuorum splendore fuisti denudatus.*

Fa-

Fabula significat, quòd homines mendaces res ipsa potissimùm refellit.

¶ De vulpe, & venatoribus. 12

VVLPES *venatores effugiens, ac per auia currendo iã defessa, hominem casu reperit lignarium, quem rogat vt se quoquo loco abscondat. Ille tectoriũ sibi ostendit. Vulpes illud ingrediẽs, in angulo quodam se abscondit. Adsunt venatores: lignarium, si vulpem viderit, rogant. Lignarius verbis quidem se vidisse negat: manu verò, vbi vulpes latebat, locum ostendit. Verumenim venatores re haud percepta statim abeunt: vulpes vt illos abisse prospicit, tectorio egrediens, tacitè recedit: lignarius vulpem criminatur, quòd cùm saluam fecerit, nihil sibi gratiarũ agat. Tunc vulpes se conuertens, illi facetè ait: Heus amice, si manũ, opera, ac mores verbo similes habuisses, meritas tibi persoluerem gratias.*

Fabula significat, quòd homo nequam etsi bona pollicetur, mala tamen & improba præstat.

¶ De gallis, & perdice. 13

GALLOS *complures cùm quis domi haberet, quam emerat perdicem illis compascere permisit. Sed cùm galli illam infestarent, rostrisque percuterent, perdix ea iniuria vehementer perdoluit, putans, quia aduena, nec eo genere esset, eas sibi inferri iniurias. Gallos deinde cùm adinuicem certantes conspiceret, perdix amota animi perturbatione ait: De cætero equidem haud tristabor, posteaquam inter eos odiosa certamina cerno.*

Fabula significat, quòd homines sapientia præditi moderato animo ferunt iniurias ab illis vel maximè sibi illatas, qui nec sibi nec suis parcere sciunt.

¶ De vulpe, & larua. 14

VVLPES *citharœdi domum ingressa, dum quæ domi para-*

parata sunt, sagaciter explorat, laruæ caput reperit arte industriosa compositum: quod manibus capiens, ait: O quale sine cerebro caput.

Fabula significat, quòd non omnes corpore decori, eandem animo habent pulchritudinem.

¶ De homine, & ligneo deo. 15

HOMO *quidam Deum ligneum domi habens, eum orauit, vt boni quippiam sibi tribueret: sed quantò magis orabat, eò res domi angustior erat: demum ille concitus ira, Deum cruribus capit, caput parieti percutit. Illi exciso igitur capite, multum auri exilijt, quod homo colligens ait: Peruersus nimium es, atque perfidus, qui dum in honore te habui, nihil quidem profuisti, percussus verò ac verberatus boni plurimum contulisti.*

Fabula significat, quòd homo nequam, si quando prodest, id efficit vi coactus.

¶ De cane ad cœnam vocato. 16

VIR *quidam quum cœnam opiparam parasset, amicũ quendam domum vocauit: eius quoque canis, canem alterius ad cœnam inuitauit. Is domũ ingressus, cùm tantum dapium videt apparatum, lætus secum ipse ait: Hodie porrò ita me explebo, quòd die crastino comedere nõ indigebo. Hisque dictis motu caudæ applaudit. Coquus verò eum conspiciens, tacitus per caudam capit, atque illum sæpius rotans per fenestram proijcit. Ille attonitus humo assurgens, dum clamando aufugit, cæteri canes sibi occurrunt, atque rogitant quàm opiparè cœnauerit. At ille languens ait: Ita potu ac dapibus me expleui, quòd cùm exiuerim, viam non vidi.*

Fabula significat, quòd quibus rebus quis doliturus est, rebus illis lætari non debet.

¶ De aquila, & homine. 17

Aqui-

AQVILAM *homo quidam cùm cepisset, pennis alarũ sibi euulsis, inter gallinas morari dimisit: eam deinde quidam mercatus, pennis alas denuò munit: tum aquila volans, leporem capit, fertque illum benefactori suo. Quã rem conspiciens vulpes, homini ait: Noli hãc aquilam, sicuti prius, hospitio habere, ne ceu leporem te æquè venetur. Tum homo aquilæ item pennas euulsit.*

Fabula significat, quòd benefacientes sunt quidem remunerandi, improbi verò omni studio vitandi.

¶ De viro agricola. 18

HOMO *quidam agricolator existens, cùm finem vitæ sibi adesse cognosceret, cuperetque filios in agrorum cultu fieri peritos, eos vocauit, atque inquit: Filij, ego è vita discedo: bona mea in vinea consita sunt omnia. Illi post patris obitum putantes in vinea thesaurum rerum reperire, assumptis ligonibus, marris, ac bidentibus, vineam funditus effodiunt: nullumque thesaurum inueniunt. Verum enim vinea cùm probè effossa foret, longè plus solito fructus producit, atque illos diuites fecit.*

Fabula significat, quòd labor assiduus thesaurum parit.

¶ De carbonario, & lotore. 19

CARBONARIVS *lotorem quendam rogauit, vt quam pretio conduxerat domum, secum pariter cohabitaret. At lotor rei aliàs expertus ait: Id cõducibile haud mihi esset. Nam quæ albificarem, ea omnia carbonum fauillis ipse maculares.*

Fabula significat, quòd res naturis dissimiles stare simul cõmodè non possunt.

¶ De vulpe esuriente. 20

VVLPES *ingenti fame concita, cùm quodam in tectorio carnis frustum ac panem reposita prospiceret, tectorium ipsum intrauit, atque tantum comedit, quòd ad in-*

ingentem tumorem ventrem distendit: & cùm ex nimia ventris tumefactione inde egredi nequiret, tumens gemebat. Eius gemitum vulpes alia transiens illàc cùm audiret, illuc accedit, rogatque quidnã gemeret: deinde causam gemitus edocta, lepidè ait: Istic manendum est, vsque eò dum tenuis efficiaris, quanta eras cùm intrasti: nam eo pacto facilè egredieris.

Fabula significat, quòd nihil est tam durum, quod tempus non dissoluat.

¶ De piscatore quodam. 21

PISCATOR *quidam piscandi inexpertus, tibijs ac reti assumptis, iuxta maris litus accedit, atque saxo quodã superexistens, in primis tuba canere cœpit, putans cantu se pisces facilè esse capturum. Verùm cantu cùm nullum consequeretur effectum, depositis tibijs, rete in mare dimittit, ac pisces cepit perplures. Sed cùm ex reti pisces extraheret, atque eos saltantes perspiceret, non insulsè ait: O improba animalia, dum ad tibiã cecini, saltare noluistis: nunc quia canere cesso, saltus datis assiduos.*

Fabula significat, ꝙ omnia probè fiũt, quæ fiũt tempore suo.

¶ De piscatoribus quibusdam. 22

PISCATORES *piscatum profecti, diuque piscando defessi, fame præterea ac mœrore, quòd nihil cepissent confecti, cùm abire decernunt, ecce piscis quidam alium fugiens se insequentem, in nauiculam saltat: illũ piscatores supra modum læti comprehendunt, ac in vrbem reuersi, grandi pretio vendunt.*

Fabula significat, quòd frequentiùs fortuna id exhibet, quod ars efficere non potest.

¶ De viro inope, & infirmo. 23

HOMO *quidam pauper cũ ægrotaret, dijs vouit quòd si eo morbo liberaretur, boues centum immolaret: quod*

ij ex-

ij experiri volentes, sanitatem illi facilè reddunt. Liber igitur à morbo, cùm boues, quia pauper, non haberet, ossa boum centum collegit, eaque super altari deponens, lepidè inquit: Ecce quod voui, votum vobis nunc persoluo. At dij illum vlcisci volentes, in somnis sibi assistut, atque inquiunt: Ad maris litus pergito, ibi enim in loco semoto auri talenta centum reperies. Ille expergefactus: somnij memor dum pergit ad litus, incidit in latrones: captus itaque eos rogabat, vt se missum facerent: quoniam mille talenta auri persolueret eis.

Fabula significat, quòd homo mendax Deos & homines pariter contemnit.

¶ De vulpe, & pardo. 24

VVLPES *cum pardo de pulchritudine contendebat, cùm varias corporis notas pardus sibi duceret decori, vulpes ei comiter ait: Ego quidem longè formosior sum iudicanda, quæ non corpus, sed animum varijs notis habeo notatum.*

Fabula significat, quod decor mentis est potior omni corporis ornatu.

¶ De piscatoribus quibusdam. 25

PISCATORES *quidam è mari rete trahebāt. Quod cùm graue esse sentirent, lætitia gestiunt, putantes multos pisces habere irretitos: sed vt rete in terram traxerunt, pisces quidem paucos, saxum verò ingens reti inesse cùm perspiciunt, longè tristantur. Quidam ex illis natu iam grandis, non inurbanè socijs inquit: Animis estote quietis, quippe lætitiæ soror est mœstitia: oportet enim casus prospicere futuros, illosque vt leuius quis ferat, persuadere sibi esse euenturos.*

Fabula significat, quòd qui reminiscitur sortis humanæ, in aduersis minimè frangitur.

¶ De ranis regem petentibus. 26

RANÆ *mœrentes quòd sine rege forent, Ioui supplicatum oratores mittũt, vt regem sibi dedat. Iupiter earum simplicitatem cognoscens, lignum in stagni mediũ demisit. Quod cùm in stagnum cecidit, eius sonus supra modum terruit ranas. Quæ cùm lignum esse nouerunt, rursum Ioui supplicatum mittunt, vt regem viuum, haud mortuum sibi dedat. Iupiter stultis earum precibus motus, Hydrum illis dedit in regem. Is in diem cũ ranas deuoraret, tertiò Iouem ranæ precantur, vt regem sæuum atque immanem ab eis amoueret. Tunc inquit Iupiter: Quem tot precibus regem exorastis, eum vobis perpetuum habetote.*

Fabula significat, quòd sæpe ea precamur, quæ impetrasse nos postea pœnitet.

¶ De cata in fœminam mutata. 27

CATA *quædam speciosi cuiusdam adolescentis amore capta, Venerem orauit, vt eã in hominem mutaret. Venus illius miserta, in formam hominis mutauit eã. Quæ cũ longè speciosa esset, amator domũ subitò adduxit. Sed cũ in cubiculo simul sederent, Venus experiri cupiens, si mutata facie mutasset & mores, in mediũ constituit murem: quem cùm illa prospexit, oblita formæ & amoris sui, murẽ vt caperet, persecuta est. Qua super re Venus indignata, denuò eam in priorem catæ formã mutauit.*

Fabula significat, quòd homo nequàm, licet personam mutet, mores tamen retinet eosdem.

¶ De sene mortem vocante. 28

SENEX *quidam lignorum fascem super humeros ex nemore portans, cùm longa via defessus esset, fasce humi deposito mortem vocauit. Ecce mors aduenit, causamq́, quamobrem se vocauerit, interrogauit. Tunc senex, vt*

hunc lignorũ fascẽ super humeros mihi imponeres, ait.

Fabula significat, quòd quisquis uitæ cupidior est, licet res mille subijciatur periclis, mortem tamen semper deuitat.

¶ De muliere, & medico. 29

MVLIER *anus cùm ophthalmiam pateretur, medicũ ad se curandum accersit, certum pretium sibi dare promittens, si eo morbo curaretur: si verò non liberaretur, nihil ei debere pacta est. Medicus verò quoties illam ibat curatum, toties quippiam è domo clàm exportabat. Mulier igitur ophthalmia curata, cùm nihil suarum rerum domi esse prospiceret, medico mercedem pactam petenti soluere denegat. Quamobrem vocata in iudiciũ pactum quidem non denegat, sed se curatam ophthalmia esse, id verò pernegat, inquiens: Cùm cæca eram, domũ multa supellectile refertam videbam: nunc cùm video, vt medicus ait, nihil rerum domi esse prospicio.*

Fabula significat, quòd homines auaritiæ dediti, sibimet sępius contradicunt.

¶ De agricola, & canibus. 30

AGRICOLA *quidam magnitudine hyemis in suburbanis se locauit. Sed cùm alimonia sibi deficeret, capris & ouibus primùm vesci cœpit: cùm verò in diem magis sæuiret hyems, bobus quoque nec pepercit. Quod facinus cùm animaduertunt canes, inuicem verba faciũt: Quid hîc stamus, inquiunt, cur mortem nobis incũbentem non fugimus? putamus' ne eum nostræ parcere vitæ, qui alimoniæ gratia boues iugulauit?*

Fabula significat, quòd eos fugere debemus, qui in carissimos crudeliter se gerunt.

¶ De agricola, & filijs. 31

AGRICOLA *quidam complureis habuit filios, continua seditione discordes, ac eius admonitionis perpetuò negli-*

negligentes. Cùm fortè vnà domi omnes ſederent, iuſsit pater virgarũ faſcẽ corã deportari, atq; natos cœpit hortari, vt integrum faſcem diſrumperent. Cùm igitur faſcem eum totis viribus frãgere non poſſent, genitor præcepit, vt ſoluto faſce ſingulatim frangerent virgas. Cùm quiſque facilè hoc perficeret, tunc facto ſilentio, pater ait eis: Si quãdo animis idem ſentietis, nati mihi chariſsimi, nec ab inimicis ſuperari poteritis: Sed ſi inter vos ſeditiones ſeruabitis, qui volet, is facilè vos perdet.

Fabula ſignificat, quòd fortior eſt vnio, quàm ſeditio, quæ eſt imbecillis.

¶ De muliere, & gallina. 32

VIDVA *quædam mulier gallinã habuit, quę die quolibet pariebat ouum. Putauit mulier, more ingenij humani, quod ſitis habendi ſemper ſolicitat, gallinam illã die bis parituram, ſi plus ſpeltæ traderet ei ſolito. At gallina pluri alimonia pinguior facta, id vnum deſijt parere ouum. Sic mulier ex quo maius lucrũ quæritabat, id cæca augendi cupiditate amiſit.*

Fabula ſignificat, quòd plurima cupiditate rerum, præſens quandoque deperditur quæſtus.

¶ De homine à cane morſo. 33

HOMO *quidam quum eum canis momordiſſet, ſummo cum ſtudio ſciſcitabatur, à quo ſanari poſſet. Quidã ſibi obuiam factus, atque de medico rogatus ait: Si vis amice fieri ſanus, non eſt tibi opus medico. Nam ſi canis qui te momordit, à vulnere lingua ſanguinem terget, iſta cura nihil potius reperiri poteſt: alter arridens venuſtiſsimè inquit: Si huiuſmodi vtor remedio, in diem magis ac magis à canibus mordebor.*

Fabula ſignificat, quòd ab hominibus nequam incommoda pro commodis, & mala pro beneficijs retribui ſolent.

¶ De duobus amicis, & vrsa. 34

AMICI *duo dum rus viarent, vrsa eis obuiam occurrit: qua prospecta, alter eorum territus, vt se saluaret, continuò arborem ascendit. Alter quum vrsæ viribus posse obsistere dubitaret, vti mortuus humi iacuit resupinus, retinens flatum atque anhelitum. Quum nec ore aut naso respiraret, vrsa eum exanimatum existimans, abijt. (Dicũt enim à cadauere vrsas omnino abstinere) Alter deinde ex arbore descendens, quid in aurem sibi dixerit vrsa sociũ rogauit. Ille vrbano sermone respondit: Admonitus sum ab vrsa, vt cum huiusmodi amicis non proficiscar amplius.*

Fabula significat, quòd eorum amicitia colenda non est, qui quum est opus, amicis subsidia denegant.

¶ De adolescentibus duobus, & coquo. 35

ADOLESCENTVLI *duo æquis sumptibus carnes coëmerunt, & curatum coquo tradiderunt. Obiter coquus dum alijs vacat negocijs, alter iuuenum carnes eas clanculum accepit, ac socio tradidit. Coquo deinde carnes quæritanti, qui acceperat, se haud habere iurat, qui verò habebat, se non accepisse iurabat. Coquus percepto iuuenum dolo, ait: Etsi fallor equidem à vobis: per quẽ verò iuratis, res ista non latebit Deum.*

Fabula significat, nullum scelus posse latere Deum.

¶ De duobus inimicis. 36

DVO *quidam gladiatorio animo inter se inimicitias habentes, vnà in naui nauigabant. Et quum alter eodem in loco stare cum altero non pateretur, vnus in puppi, alter in prora consedit. Orta autem tempestate quũ nauis periclitaretur, qui in prora sedebat, rogat nauis gubernatorẽ, quæ pars nauis submergi prius deberet. Et quũ*

bernator puppim dixisset, ait ille: Mors mihi modò molesta minimè est, si inimicũ meum prius mori perspicio.

Fabula significat, quòd inimicus vt inimicum perdat, seipsũ perdere sæpius eligit.

¶ De calamo, & oliua. 37

QVAENAM *esset fortior, durior, & magis resistens, canna & oliua inuicem contendebant. Oliua calamo humilitatem obijciebat, eò quòd ventis facilè cederet. Huic dicto vnum arundo haud reddidit verbum. Paulò pòst turbine vehementi aspirans ventus, radicitus euulsit oliuam, totis viribus sibi obsistentem. At canna flatibus se inclinans, salutem facilè est assequuta.*

Fabula significat, quòd potentioribus sine controuersia mos est in tempore gerendus.

¶ De vitula, & boue. 38

VITVLA *quum bouem arantem perspiceret, illũ præ se, quæ nihil agebat, contempsit. Sed quum immolationis affuit dies, bos quidẽ missus, vitula verò vt immolaretur, retenta est. Quã rem bos quũ conspicatur, subridẽs ait: Heus vitula, ideo nõ laborabas, vt immolareris?*

Fabula significat, quòd otiosis & nihil agentibus pericula quoque imminent.

¶ De puero, & Fortuna. 39

QVVM *puer quidam iuxta puteum dormiret, Fortuna illuc accedens illum excitauit, inquiens: Surge, & hinc ocyus abi: Quippe in puteum si caderes, non tuam inscitiam, sed me Fortunam omnes accusarent.*

Fabula significat, quòd frequens pericula culpa nostra incurrimus, deinde abs re fortunam accusamus.

¶ De muribus, & cato. 40

DOMO *quapiam quòd perplures forent mures, catus præsentiens illuc accessit, atque nunc vnum, nunc alium capiens, complures interimendo comedit. Verùm mures*

cùm se in diem cõsumi perciperent, ad vnum coacti, inquiunt secum: De caeterò inferiùs non esse descendendũ, si volumus perditum iri omnes, sed hîc superiùs manendum, quò catus ascendere non potest. At catus consilio murium percepto, simulans se mortuũ esse, posterioribus pedibus se ad palum suspendit, qui fixus parieti erat. E muribus quispiam deorsum acutè prospiciens, vt catum esse cognouit, haud infacetè ait: Heus amice, etsi te follem esse certò scirem, deorsum minimè descenderem.

Fabula significat, quòd vir prudens semel si fallitur, fictis & simulatis hominibus non amplius fidit.

¶ De simia, & vulpe. 41

APVD *brutorum animalium concilium, simia ita appositè saltauit, quòd omniũ ferè consensu rex statim fuit creatus. At vulpes inuidens ei, vbi viderat carnes laqueo in fouea sitas, illuc simiam vt duxit, inquit ad eã: Hic thesaurus absconditus est, qui ex lege spectat ad reges: quarè cùm tuus ex lege sit, tute ipse capias illũ. Simia vulpis suasu, illuc temerè accedens, vt se captã laqueo sensit, vulpẽ acriter accusat, quae dolo se deceperat. Ei vulpes haud illepidè ait: Heu stulta, quae cũ fortuna te extulisset, dominari caeteris iam te putabas dignam.*

Fabula significat, quòd qui temerè quippiam aggreditur, temerè in aduersa incidit, ac vulgò ridiculus fit.

¶ De ceruo, & leone. 42

CERVVS *vehementi siti cùm vexaretur, ad fontem proficiscitur: dumque potat, suam in aqua prospiciẽs vmbram, valde laetatus est magnitudine cornuũ ac ramositate: deinde pedes & crura prospiciens, nimium tristatus est. Haec dum animo vertit, ecce leo apparet, ac ceruũ prosequitur. At ceruus fugam arripiens, leonem per campos longè anteibat. (Dicunt enim ceruorum vires*

con-

consistere in pedibus, at leonis in animo stare robur.) Quousque igitur leo per campos secutus est ceruũ, eũ assequi non potuit. Casu verò contigit ceruum nemus intrare, vbi cornibus ad ramos implicitus cùm fugere nõ posset, à leone captus, cùm se moriturũ videret: Heu me miserũ, inquit, qui cornibus gauisus, ipsis cornib. pereo.

Fabula significat, quòd quæ putamus nobis profutura, ea nobis sæpius obsunt.

¶ De agricola, & pelargo. 43

AGRICOLA *laqueos in agro tetendit, vt grues & anseres venaretur, qui sata sua continuè depascebãt: At simul cum illis venatus est pelargum, qui pede tentus rogat agricolam, vt eum soluat, missumq́ue faciat, cùm nõ sit grus, nec specie anser, sed pelargus auium pijssimus, qui parentibus semper deseruit, nec illos in senecta deseruit vnquam. Ei agricola subridens ait: Quæ dicis, haud me fugiunt, nam qui sis, probè teneo: sed his simul captus cùm sis, cum his quoque simul est moriendum.*

Fabula significat, quòd qui cum improbis quopiam deprehenditur crimine, pari pœna plectitur cum illis.

¶ De agno, & lupo. 44

AGNVS *in domo bene clausa existens, cùm lupum ad se venientem perspicit, illũ conuicijs & maledictis persequitur. At lupus inquit ei: Non tu, sed locus inaccessibilis mihi conuicia dicit.*

Fabula significat, quòd locus & tempus faciunt timidos persæpe audaces.

¶ De Ioue, & coruo. 45

IVPITER *volatilibus regem creare volens, diem concilij auibus indixit, vt qui speciosior esset, rex sibi constitueretur. Quam rem præsentiens coruus, ac suæ deformitatis cõscius, pennis aliorum hinc inde collectis, se de-*

corauit, ac ſpecioſiſsimum omnium ſe reddidit. Adeſt dies præfinitus, veniunt ad concilium aues. Iupiter coruum ob pulchritudinem cùm regem auibus creare vellet, id aues indignè ferentes, quæque ſuas à coruo extrahunt pennas. At coruus alienis pennis cùm eſſet exutus, coruus vt erat demum remanſit.

Fabula ſignificat, quòd qui rebus pendet alienis, illis amiſsis quiſnam ipſe ſit, cuique liquido patet.

¶ De tubicine quodam. 46

TVBICEN *quidam tubæ ſonitu pugnatum ciebat exercitum. Ab hoſtibus deinde per inſidias captus miſeranda voce clamabat: Ne abs re ac fruſtra occidere me velitis: ego quidē non pugno, nec præter tubam quippiā aliud poſsideo. Qui eum vinctum ducebant, huiuſmodi verba contrà reddiderunt: Hanc ob rem morte dignior es iudicandus, quòd cum hoſtibus manum conferre deuitans, alios ſonitu ad pugnam hortaris.*

Fabula ſignificat, quòd grauiori pœna ſunt iudicandi, qui cū ipſi iniuriā non agant, alios ad iniuriam agendum impellunt.

¶ De fabro, & cane. 47

FABER *quidam catulum habebat, qui dum ipſe ferrū cuderet, continuè dormiebat. Cùm verò manducabat, canis ſtatim ſurgebat, & quæ ſub menſa erant deiecta, ceu oſſa & alia huiuſmodi, ſine mora corrodebat. Quā rem animaduertens faber, ait ad canem: Heus miſer, quid faciam neſcio, qui dum ferrum cudo, continuè dormis, & ſegnitia teneris: Rurſus cùm dentes moueo, ſtatim ſurgis, & cauda mihi applaudis.*

Fabula ſignificat, quòd ſecordes & ſomnolenti, qui ex aliorū viuunt laboribus, graui cenſura ſunt coërcendi.

¶ De mula quadam. 48

MVLA *quædam nimio hordeo pinguis effecta, nimia*

pinguedine lasciuiebat, secum inquiens: Pater mihi equus fuit, qui cursu celerrimus erat, & ego ei per omnia sum similis, parum pòst contigit, quòd oportuit mulam quantum potuit currere: sed cũ cursu cessauit: Heu me miseram, inquit, quæ equi filiam me esse putabam: at nunc memini asinum mihi patrem fuisse.

Fabula significat, quòd stulti in prosperis seipsos dediscunt, sed in aduersis suos persæpe recognoscunt errores.

¶ De thynno, & delphino. 49

THYNNVS, *cùm eum Delphinus persequeretur, magno elatus impetu ac stridore, à vehementi fluctu in insulam defertur: eundemque in scopulum, à fluctu eodẽ, Delphinus, dum se putat capere Thynnum, ipse quoque defertur. Thynnus cõuersus cùm Delphinum expirantẽ animam perspicit, secũ ipse ait: Mors mihi molesta admodum non est, ex quo mortis autorem mori simul mecum perspicio.*

Fabula significat, quòd quiuis aduersa leuius fert, cùm aduersitatũ autores eadem aduersitate opprimi perspicit.

¶ De medico quodam. 50

MEDICVS *quidam cum quem curaret ægrotum, eum mori contigerat, efferentibus funus aiebat: Vir iste si se vino abstinuisset, & clysterijs vsus fuisset, eum mori nõ contigisset. Ex his qui aderant, quispiam medico haud infacetè ait: Heus medice, ista cõsilia cùm prodesse quibãt, dicenda fuerũt, non nũc, cùm nihil valeãt prodesse.*

Fabula significat, quòd vbi haud prodest consiliũ, id eo tempore dare, est sanè amicum deludere.

¶ De aucupe. 51

AVCEPS *aucupatum calamis viscoque tetendit, & cùm turdum canere arboris desuper ramum aspexit, vt eum caperet, calamos erexit. At inter ambulandum*

pede altero viperam calcauit, morsusq; ab ea, cùm iam-iam ob venenum se deficere persensit: Heu me miserũ, ingemuit, qui dum alium capere festino, alter ad mortem me est aucupatus.

Fabula significat, quòd quæ contra alios facere nitimur, ea persæpe ab alio ipsi patimur.

¶ De castore. 52

CASTOR *est animal quadrupes, qui in paludibus se nutrit: eius testes varijs medelis vtiles esse dicuntur. Itaque cùm quispiam eũ sequitur, suæ persecutionis causam non ignorans, ac pedum velocitati fidens, quantum potest, fugit, vsquequo ad locum ne videatur, saluus deueniat, atque ibi testes excîdens, in venatores, cùm sibi appropinquant, proijcit. Et isto pacto à venatoribus se eripit.*

Fabula significat, quòd sapiens vt à periculis se eripiat, nihil intentatum deserit.

¶ De puero oues pascente. 53

PVER *quidam cùm oues eminentiori in loco depasceret, sæpius clamabat: Heus ô à lupis mihi succurrite. Qui circùm aderant cultores agrorũ, cultũ omittentes, ac illi occurrentes, atque nihil esse comperientes, ad opera sua redeunt. Cùm pluries puer id ioci causa fecisset, ecce cùm lupus pro certo adesset, puer vt sibi succurratur seriò clamat. Agricolæ id verum non esse putantes, cùm minimè occurrerent, lupus oues facilè perdidit.*

Fabula significat, quòd qui cognoscitur mentiri, ei veritas postea non creditur.

¶ De coruo, & vulpe. 54

CORVVS *cùm carnium frustum rapuisset, arborem quandam superſedit: vulpes eum suspiciens, atque carnes sibi cupiens, illum arte aggreditur. Stans igitur sub arbo-*

arbore, coruum laudare occipit, aiens: O quàm magna auis est hæc, quàm speciosa, quàm venatrix, quàm formosa! hanc decuit esse auium regem. Nam omnia regia super alias sibi sunt aues, si modò vocem haberet. His laudibus coruus inflatus, & dici mutus haud valens pati vlterius, dum magna voce crocizat, carnes humi decidunt. Illas cùm vulpes rapuisset, conuersa inquit ad coruum: Heus corue, omnia decora tenes, modò mente haud careres.

Fabula significat, quòd qui adulatoribus nimium credunt, hi, quæ non putant, in aduersa sæpius incidunt.

¶ De cane, & lupo. 55

CANIS *cùm ante aulã dormiret, lupus superueniens, eum statim cepit: & cùm ipsum occidere vellet, canis ne eum occideret rogauit, inquiens: Here mi lupe, nunc me occidere noli, nam, vt vides tenuis sum, gracilis & macilentus. Sed herus meus nuptias in proximo facturus est, vbi si parùm me expectas, ego opiparè manducans, atque pinguior factus, ero tibi vtilior. Lupus his verbis fidem habens, canem dimisit. Paucos post dies lupus accedens, eum canem dormientem domi reperit: stans ante aulam canem rogat, vt sibi promissa præstet. Ei canis haud rusticè inquit: Heus lupe, si ante aulam de cætero me reperis, haud amplius nuptias expectes.*

Fabula significat, quòd sapiens cùm periculum vitat, ab illo postea continuè cauet.

¶ De coruo ægrotante. 56

CORVVS *cùm ægrotaret, matrem rogauit, vt sua pro sanitate Deos precaretur, inquiens: Mater noli plorare, sed deos potius precare, vt sanitatem mihi restituãt. Et mater scitè respondit: Quem deorum tibi fore propitiũ putas? cùm nullus sit è cuius aris sacra non rapueris?*

Fabula significat, quòd qui in prosperitate quemuis offendit, in aduersis amicum sibi reperit neminem.

¶ De cane carnes portante. 57

CANIS *ore ferens carnes, ac flumen transiens, cũ sub aqua ymbram prospexit, putauit alium esse canem, qui plus carnium deferret. Itaque quas ipse ferebat, eas carnes sub aquas ire demisit, & vt vmbram caperet, se mouit: sed carnes & vmbram, quæ sanè nihil erant, simul perdidit.*

Fabula significat, quòd cupiditate plus semper habendi, quæ tenemus, ea sæpenumero perdimus.

¶ De leone, & rana. 58

LEO *cùm ranam magniloquacem audiret, putans aliquod magnum animal esse, se retrouertit: parumq́ stans ranam è stagno exeuntem videt. Quam indignabundus statim pedibus calcauit aiens: Nullum amplius vt te perspiciat animal clamore mouebis.*

Fabula significat, quòd apud verbosos, præter linguam nihil reperitur.

¶ De leone sene. 59

LEO *cùm senuisset, nec victum sibi quærere posset, viã machinatus est, quî alimenta haud sibi desint. Ingressus igitur speluncã grauiter ægrotare iacens simulabat. Animalia illũ ægrotare verè putãtia, visitãdi gratia ad eum accedebant: quæ leo capiens singulatim, manducabat. Cùm multa animalia iam occidisset, vulpes leonis cognita arte, aditum speluncæ accedens, leonem quo valeat pacto, exterius stans, rogat: ei leo blandè respondens ait: Vulpes filia, cur non introgrederis ad me? Ei vulpes non illepidè ait: Quoniam hêre mi animalium ingredientium perplura equidem vestigia cerno, sed egredientium vestigia nulla.*

Fabula

Fabula significat, quòd homo prudens, quia pericula imminentia prouidet, illa facilè deuitat.

¶ De leone, & tauro. 60

L E O *ingentem taurum per insidias sequens, cùm propè accessit, eum vocauit ad cœnam, inquiens: Amice ouem occîdi: hodie mecum, si placet, cœnabis. Taurus leoni morem gerens, vt discubuerant, quum multos lebetes, necnon magnos & plureis obeliscos paratos conspiceret, & ouem ibi nullam adesse, è vestigio abijt. Quem leo abeuntem perspiciens, quur abiret rogauit: ei taurus haud inurbanè respondit: Non de nihilo equidem abeo, quum instrumenta non ad ouem, sed ad taurum coquendum videam esse parata.*

Fabula significat, quòd homines prudentes minimè latent improborum artes.

¶ De leone, asino, & vulpe. 61

L E O, *asinus, & vulpes conflata inter se sotietate venatum exeunt. Quumque multam prædam cepissent, leo asino mandat vt prædam diuidat. Asinus quum eam in treis parteis æqualeis esset partitus, optionem capiendi socijs dedit.. Quam partitionem leo indignè ferens, ac dentibus frendens, à diuisione deposuit eum, mandauitque vulpi, vt prædam ipsa partiretur. At vulpes illas treis parteis in vnum colligens, ac prædæ nihil sibi seorsum relinquens, leoni omnia tradidit. Tunc leo vulpi ait: Quis te partiri edocuit? Inquit ex tempore vulpes: Asini periculum id me facere instruxit.*

Fabul. signif. quòd aliorũ pericula homines faciũt cautiores.

¶ De leone cuiusdam rustici filiam amante. 62

L E O *cuiusdam rustici filiam amabat. Illam quum habere cuperet, patrem virginis rogauit, vt sibi nubere ipsam assentiret. Et rusticus ait, Nullo pacto se assensurũ,*

quòd

quòd filia bestiæ nubat. Quum illum leo toruè aspiceret, ac dentibus frenderet, rusticus mutato consilio ait, se cupere ei filiam nubere, modò dentes & vngulas prius cadat euellatque: quoniã virgo illis rebus longè terretur. Leo id postquam præ nimio amore fecit, rusticum adiẽs, filiam sibi dari postulat. At rusticus leonem quum vngulis & dentibus perspicit inermem, arrepto fuste illũ frequens pulsando persequitur.

Fabul. signif. quòd qui inimicis se committit, de facili perit

¶ De leæna, & vulpe. 63

LEAENA *quum à vulpe sæpius exprobraretur, quòd quolibet partu vnum duntaxat páreret catulum, ait: Vnum sanè, at pol leonem.*

Fabula significat, quòd pulchritudo haud in copia rerũ, sed in virtute consistit.

¶ De lupo, & grue. 64

LVPVS *in gutture osse retento quum longè cruciaretur, grui pretium obtulit, si illud è gutture extraheret. Grus rostro quũ os è gutture extraxit, pretium sibi promissum expostulat. Ei lupus subridens, simulq; dentes acuens, ait: Satis pretij tibi esse debet, quòd ex lupi ore caput sine læsione eduxeris.*

Fabula significat, quòd apud improbos gratitudo nõ parua habetur, si pro obsequio quis detrimentum non recipit.

¶ De lupo, & agno. 65

LVPVS *quum agnum inuenisset errantem, eũ non cepit fortissima manu, sed causam quæsiuit, quo iure vel iniuria eum comederet. Igitur agno verba huiusmodi fecit, Tu mihi abundè iam diu intulisti iniurias. Agnus gemendo ait: Quomodo id fieri potuit, quum nuperrimè venerim ad lucem? Lupus denuò ait. Agrum mihi pascendo deuastasti. Agnus inquit ei: Quum dentibus etiam*

tiã careã, id facere nequiui. Lupus rursum ait: Ex meo quoque fonte bibisti. Ei inquit agnus: Quo pacto id fieri potuit, quũ aquã ex ætate nondũ biberim, sed lac matris cibus & potus adhuc mihi sit? Lupus demũ ira cõcitus ait: Licet tua soluere nequeã argumẽta, cœnare tamẽ opiparè intendo: agnumq́ cepit, ac illum manducauit.

Fabula significat, quòd apud improbos ratio & veritas locũ haud habent.

¶ De duobus gallis inter se certantibus. 66

D V O *galli inter se ruri certabant: qui gallinarũ prior dux erat, quũ ab altero superatus esset, præ verecundia se abscondit. Alter verò victoria elatus, domus tectum statim superuolans, vehementi alarũ plausu cantuq́ significat se riualem suũ pugnando superasse, & de aduersario ferre trophæũ. Dum hæc & huiusmodi iactabundus voce crocizat, ecce aquila cibi indiga ex alto deuolans, gallum vnguibus rapit, ac pullis suis in alimoniam contulit. Quam rem qui victus fuerat gallus, prospiciẽs, ceu ex hoste triumphans, in publicum venit, ac solus gallinis liberè potitur.*

Fabula significat, quòd qui prosperis nimium fidit, in aduersa sæpius præceps incidit.

¶ De vate quodam. 67

F O R O *vrbis medio, quidam vates cuiuis sortem aperiebat futuram. Quamobrem magna hominũ frequentia stipatus, dum vni & alteri suam aperit sortem, ei nunciatur, res suas furtim domo esse ablatas. Quo audito, domum curriculo dum abit, quidã ei obuiam factus, ridiculè ait: Quur alios quid esset futurum monebas, qui tuæ sortis nescius fuisti?*

Fabula significat, quòd homines nequam corrigunt alios, & sua crimina scire se negligunt.

¶ De formica, & columba. 68

FORMICA *sitiens in fontem descendit: vbi dum bibere vult, in aquam cecidit. Columba quædam arborem fonti imminentem supersedens, quum formicam aquis obrui conspiceret, ramulum ex arbore rostro continuò frangit, ac sine mora deycit in fontem. Ad quem formica se applicans, ex aquis in tutum se recipit. Obiter auceps quidam aduenit, & vt columbam venetur, calamos erigit. Formica id percipiens, pedem alterum momordit aucupi. Eo dolore auceps cōcitus, calamos demittit. Quorum strepitu columba territa, ex arbore aufugiens, vitæ periculum euasit.*

Fabula significat, quòd quum bruta in beneficos grata sint, eò magis esse debent, qui participes sunt rationis.

¶ De vitulo, & cerua. 69

VITVLVS *ceruæ aliquando ait: Quum magnitudine sis maior canibus, & pedū celeritate cursu velocior, & ad pugnā longè cornibus munitior, cuius rei gratia mater tātoperè canes reformidas? Ei cerua inqt subridēs: Quoniā fili licet quæ dicis, omnia possideā, canū latratū ferre nō possū, sed præ timore fugā statim arripio.*

Fabula significat, quòd qui natura timidi sunt, apud eos vt audeant, nulla valet hortatio.

¶ De ape, & Ioue. 70

APES, *quæ ceræ mater existit, quondam accedens vt Dijs sacra faceret, Ioui donū obtulit mellis. Qua oblatiōe Iupiter lætus, iussit sibi concedi, quicquid ipsa precaretur. Apes igitur rogans, ait: Illustrissime deus deorum, ancillæ tuæ concedere velis, vt quicunq; ad alueare pro rapiēdo melle accesserit, is simul ac pupugero eū, cōtinuò moriatur. Qua rogatione Iupiter diu ambiguus, quoniā genus mortalium longè amabat, demum api ait: Satis sit*

tibi

tibi, quòd quicũq; alueare pro rapiendo melle accesserit, si eũ pupugeris, & in punctura stimulũ dimiseris, continuò ipsa moriaris, tibique vita sit ipse stimulus.

Fabula significat, quòd inimicis quandoque mala precamur, quæ in nos sæpius vertuntur.

¶ De musca. 71

MVSCA *quæ in ollam carnium deciderat, quum se in brodio suffocari sensit, secum ipsa ait: Ecce tantum bibi, tantũ comedi, tantũ me laui, ꝙ iure satura mori possũ.*

Fabula significat, quòd prudentis est id potenti animo ferre, quod vitari minimè potest.

¶ De adolescente quodam, & hirundine. 72

ADOLESCENS *luxuriosus quum bona patris consumpsisset, solaque vestis ei remansisset, visa ante tempus hirundine, æstatem iam adesse existimans, ipsam quoque vendidit vestem. Sed hyeme denuò orta, quum immenso cruciaretur frigore, visa rursum hirundine, quæ & ipsa frigore obibat, ait: O pessima auis, quæ me & te pariter perdidisti.*

Fab. sigif. ꝙ quæ suo tẽpore non fiũt, ea diu stare nequeunt.

¶ De ægroto, & medico. 73

ÆGER *à medico rogatus, quo pacto se habuisset: Plus quàm esset opus, se sudasse respondit. Id bonum fuisse medicus ait. Secundò rogatus ab eodem quomodo se haberet, inquit ægrotus, Vehementi frigore fuisse cõprehensum. Id ad salutem fore medicus quoque ait. Tertiò ab eodẽ rogatus, quo pacto se habuisset, inquit ægrotus, Cũ difficultate digerere potuisse. Rursum medicus ait, Id ad salutem optimum fuisse. Deinde ex domesticis quum quidam ægrotum interrogaret, quomodo valeret: illi æger ait: Signa ad salutem, vt medicus ait, perplura & optima sunt, illis tamen dispereo signis.*

Fabula significat, quòd qui ad voluptatem loquuntur, illis aures præstare quis non debet.

¶ De lignatore quodam. 74

LIGNATOR *quidam dum iuxta flumen deo Mercurio dicatum ligna cæderet, securis casu decidit in flumen. Multo igitur mœrore comprehensus iuxta fluminis ripam gemens considebat. Mercurius misericordia motus lignario apparuit, suique fletus causam rogauit: quam simulac didicit, securim auream deferens, vtrũ quam perdiderat illa esset, rogauit. At eam pauper suã esse negauit. Secundò Mercurius alteram detulit argenteam. Quam quum pauper ille suam quoque esse denegaret, postremò Mercurius ligneam sustulit. Illam suam esse quũ pauper assentiret, Mercurius cognoscens illũ esse hominem verũ iustumq́ue, omnes sibi dono dedit. Accedens igitur ad socios lignarius, quod sibi acciderat aperit. Vnus ex socijs id experiri volens, quum ad flumen accessisset, securim in aquam deiecit: deinde flẽs in ripa consedit. Cuius Mercurius fletus causam edoctus, securim auream afferens, si quam perdiderat illa esset, rogauit. Quam quum suam esse assereret, Mercurius cognita eius impudentia ac mendacio, nec auream, nec suam quoque tradidit.*

Fabula significat, quòd quantò Deus propitior est probis, eò improbis existit infestior.

¶ De asino, & Ioue. 75

ASINVS *olitori cuidam seruiens, quum parum comederet & multum laboraret, Iouem exorauit, vt alium dominum sibi mutaret. Itaque Iupiter mandat vt figulo veneat. Apud quem asinus quum laboraret, in deportando lutum, lateres, tegulas, & huiusmodi, secundò Iouem precatur, vt alio deseruiat domino. Iupiter iterum mandat*

mandat, vt coriario venundetur. Cui asinus multo cum labore & pauco cibo seruiens: Heu me miserum, cum gemitu ait, quid dominos omittens meliores, ad deteriorem perueni, apud quem, vt video, corium meum etiam post mortem cruciabitur?

Fabula significat, quòd priores dominos tunc serui desiderant, cùm deteriores experiuntur.

¶ De leporibus, & ranis. 76

LEPORES *in vnum simul conuenerunt: vbi cùm de miseria ipsorum innata dolerent, gemerentúe, quòd vita eis, quàm cæteris animalibus data esset miserior, quoniã homines, aquilæ, & canes, ad mortem eos vsque persequerentur, decernunt melius sibi fore semel mori, quàm in vita tam misera diutius permanere. Hoc certo consilio, vt se in stagnum præcipitent, dum ocyus tendunt, ranæ quæ super stagni ripa astabant, vt strepitum audiũt, in stagnũ desiliunt, seq́ aquis submergunt: quam rem qui lepus præibat cùm conspicatur, reliquis ait: State, nã nobis sententia mutanda est. Quippe, vt liquidò videtis animalia, quàm nos, magis timida reperiuntur.*

Fabula significat, quòd cùm miser miseriorem aspicit, suam æquius miseriam fert.

¶ De asino, & equo. 77

ASINVS *cùm equum alimonia & otio diligenti cura abundare perspiceret, eum longè beatum esse cõmendabat, seq́ue nimium infelicem dicebat, qui cùm multũ laboraret, ad saturitatem de paleis haud haberet. Cùm tempus belli aduenit, miles armatus equum ascendit, ac cùm medios decurrit in hostes, equus mucrone percussus cadit humi prostratus. Quem asinus prospiciens, ingemuit, eiusque misertus, sui animi sententiam mutauit.*

Fabula significat, quòd cum paupertate, quæ mater est quie-

tis, quis conuenire debet potius, quàm locupletiorib. inuidere.

¶ De asino, & lupo. 78

ASINVS *quidam pede altero sentē calcauit, claudusq; factus, cùm lupum ad se venientem conspiceret, nec fugere posset, miserabili voce inquit: Heus lupe, demorior equidem è dolore: sed ex quo opus est vt tibi & coruis futurus sim cibus, obsecro quatenus tua benignitate sentem è pede velis extrahere, vt munere tuo extremū sine dolore obeam diem. Dum sentem dentibus lupus euellit, asinus eum calce percußit. Lupus deinde naso, fronte, ac dentibus perfractis: Heu me miserum, exclamat, iure hoc patior. deplorando reiterat: Qui cùm essem coquus, medicus esse volui.*

Fabula signif. quòd quam quisque nouit, ea se exerceat arte.

¶ De muliere, & gallina. 79

MVLIER *quædam gallinam habebat, quæ aurea continua oua pariebat: putans igitur totā intus aureā esse illam, occîdit. Sed cùm alijs gallinis esse similem reperit, vbi diuitem se fore putauit, quem primò quæstū habebat, eum plus habendi cupiditate amisit.*

Fabula significat, quòd plus habendi cupiditate id sæpe perdimus, quod habemus in manibus, lucrum.

¶ De rana, & vulpe. 80

RANA *in palude existens, cæteris animalibus clamando cùm profiteretur se medicam esse, pharmacorumq; peritam, ei vulpes venustißimè ait: Quî alios curaueris, cùm claudicantem curare te nescias?*

Fab. signif. quòd alios docere quis nō potest id, quod haud didicerit.

¶ De serpente, & agricola. 81

SERPENS *ante agricolæ cuiusdam domum latebras habens, cùm ab agricolæ filio esset percussus, tam acriter ipsum momordit, quòd morsu ex illo puer repentè obijt.*

Hac

Hac re cognita, magnus inter parentes gemitus oritur. Tum pater mœrore concitus accepta securi, serpentem ut occideret persequitur: vibransque securim, ut serpentē percuteret, extremum caudæ eius cecidit: deinde volens pacem cum serpente conficere, acceptis farina, aqua, sale, & melle, ad reconciliandum inter se amicitiam vocat serpentem. Et serpens sub petra latens, sibilando ait: Frustra laboras bone vir: nam inter nos amicitia fore nō potest: quippe dum me sine cauda aspexero, & tu tui filij sepulcrum, quieti animo esse nequibimus.

Fabula significat, quòd dum iniuriarum recens, vel maximè extat memoria, odia tolli minimè queunt.

¶ De gallina, & vulpe. 82

VVLPES *gallinarum tugurium ingressa, cùm gallinā nido ægrotantem aspexit, eam rogauit quomodo valeret. Cui gallina promptè respōdit: Meliusculè me haberem, si hinc abires soror.*

Fabula signif. quòd inimicorū præsentia nimiū est molesta.

¶ De viatore. 83

VIATOR *quidam cùm multam viam viasset, votum Mercurio vouit, quòd si quid reperiret, eius rei medium sibi offerret. Fortè igitur adinuenit peram amygdalis dactylisq; refertam, & cùm putaret id esse argentum, peram capiens amygdalarum nucleos & carnes dactylorum ipse comedit. Deinde templum Mercurij ingressus, atque aram manibus tenens, verbis ridiculis inquit ad eum: Votum Mercuri nunc persoluo tibi. Nam quas equidem res adinueni, earum tibi offero medium, ossa scilicet dactylorum ac testas amygdalarum.*

Fab. signif. quòd homines auaritia Deorū efficit cōtēptores.

¶ De leone, & homine. 84

LEO *& homo cùm semel simul viam viarent, ac inter*

viandum se quisque verbis commendaret, ecce lapidea occurrunt columnæ, in qua erat incisum, quòd homo suffocabat leonem: quam sculpturam homo leòni ostendens ait: Hîc videre licet, quantò homines leonibus, ac feris omnibus præstantiores sunt, ac robustiores. Et leo prōptè respondens inquit: Si apud leones essent ceu apud homines, qui sculpere scirent, plures à leonibus homines, quã ab hominibus leones suffocari sculptos videres.

Fabula significat, quòd homines iactabũdi fingunt se fecisse, quæ facere nunquàm tentarunt.

¶ De vulpe quadam. 85

V V L P E S *cùm racemos vuarum plenos iam, ac maturescentes prospiceret, cupida de illis manducare, omnem viam machinata est, qua illos comprehendere posset. Sed cùm omnem viam frustra tentasset, nec desiderio suo satisfacere quiuisset, mœstitiam vertens in gaudium ait: Racemi illi adhuc nimiùm sunt acerbi.*

Fabula significat, quòd prudentis est fingere se ea nolle, quæ consequi non posse cognoscit.

¶ De puero, & scorpione. 86

P V E R *quidam ruri venabatur locustas, & cùm scorpionem capere vellet, scorpio simplicitate eius cognita, ait ei: Heus puer, dege in pace, ac manum abstine, si non vis tutus perire.*

Fabula significat, quòd qui ad vtrãque partẽ cogitat, is quæ sequi & quæ vitare debeat, probè tenet.

¶ De venatore, & perdice. 87

V E N A T O R *quidam cùm quam ceperat perdicem occidere vellet, perdix gemens huiusmodi verba fecit ad eũ: Heus perdicũ auceps, si me missam feceris, ac vitam donaueris, alias perplures conducã tibi perdices. Ei auceps appositè respondit: Nũc eò magis occîdi dignam iu*

dico

dico, quòd amicos per insidias perdere polliceris.

Fabula significat, quòd qui sibi caros perdere dolo quærit, is præceps in pericula incidit.

¶ De lepore, & testudine. 88

TESTVDO, *cùm eius pedes lepus derideret, subridens inquit ad eum: Si periculum in cursu feceris, quòd quã tu velocior sim, liquidò cognosces. Cui lepus ait: Te profectò fugit, quid mei valeant pedes, sed iudicem eligamus, qui cursum & terminum nobis definiat. Igitur eligũt vulpem brutorũ omnium sagacissimã, quæ vt locũ & cursus terminũ constituit, testudo omni segnitie ac negligentia semota, iter arripiẽs haud quieuit, donec ad terminum peruenit. Lepus verò pedibus fidens, vbi paululũ quieuit, somno excitatus, quantũ pedes valuerũt, ad terminum cucurrit, ibiq; cùm testudinem quiescentem reperit, se cum rubore fatetur à testudine superatum.*

Fabula significat, quod studio & diligentia, non corporis viribus, res vel maximæ conficiuntur.

¶ De salice, & securi. 89

SECVRIS *cùm salicem cæderet, ex ea ipsa cuneos fecit, quibus salicem facilius scinderet. Quam rem præsentiens salix, gemens eiulansque ait: Non tantùm de securi queror, quæ hominum manibus me scindit, quantum de cuneis, qui fiunt ex corpore meo.*

Fabula significat, quòd in aduersis, non veri amici infestiores amicis, quàm inimici sæpius redduntur.

¶ De puero quodam fure. 90

PVER *quidam è ludo literario librum socio clàm auferens, suæ matri tradidit illum: quem mater cùm libẽter accepisset, nec filium castigasset, rursus puer alij vestem clàm abstulit, atque matri quoque detulit: quã cùm mater etiam libenter accepisset, puer castigatione carens,*

cùm plura in diem ac maiora crescẽtibus annis furaretur, demum publicè captus, ceu furti reus, per questores publicè damnatus est mortis. Sed cùm ad locum iustitiæ duceretur, cumque mater gemebunda sequeretur, impetrata venia vt matri ad aurem vnũ loqui verbũ liceret, ad eam conuersus, atque os auri matris adhærens, vti quippiam secretò dicturus, aurem dẽtibus sibi abscidit. Mater verò præ dolore exclamans, mala sibi imprecatur. Tũc qui eũ ducebant cùm supra modũ criminarentur, non solùm furti, sed quòd tam impius fuerit in matrem, ille absque rubore inquit ad eos: Nemini vestrũ sit mirum quòd aurem matris dentibus abscidi: ipsa enim huius meæ perditionis autor & causa est. Quippe si me castigasset, cùm ei librũ detuli, quem socio è scholis primũ clàm abstuli, omissis, præ timore verberũ furtis, ad hoc in præsentia genus turpissimæ mortis non peruenissem.

Fabula significat, quòd qui in delinquendo ab initio non castigatur, facinorosior in diem efficitur.

¶ De pastore, & mari. 91

PASTOR *quidam iuxta litus maris pecudes pascens, cùm mare ipsum semel placidum aspiceret, nauigandi studio captus, oues pro dactylis commutauit: quibus naui positis, cùm altum iam nauigaret, & tempestate sine spe salutis fluctuaret, quæ in naui sunt, ea omnia proiecit, atque in portum se recipit. Denuò cùm oues pasceret, ac rursus mare tamen tranquillũ videret, suo consocio ipsam maris tranquillitatem commendanti ridiculè ait: Mare iterum dactylos cupit.*

Fabula significat, quòd vsus & peritia nos reddũt in periculis cautiores.

¶ De punica, & malo arboribus. 92

PVNICA *& malus arbores, de pulchritudine contendebant,*

debant, cùm diu inter se varijs, & acerbis contentionibus certassent, rubus ex proxima sepe huiusmodi contẽtiones accipiens, accessit ad eas, atq; inquit: Satis iam, satis certatum inter vos est: quiescite admodum & contentionibus finem imponite.

Fab. signif. ꝙ minores maiorũ lites sæpenumero cõponunt.

¶ De talpa, & matre. 93

TALPA *cæcum natura animal est: Hæc aliquãdo matri ait: Ingentem sentio odorem. Parũ pòst rursum ait: Excelsam aspicio fornacem. Tertiò item ait: Malleorum sonitus audio fabriles. Ei mater comiter ait: heus filia, tu, vti percipio, non solùm oculis, sed naso & auribus orba existis.*

Fabula significat, quòd homines iactabundi cũ magna profitentur, tunc vel maximè in minimis redarguuntur.

¶ De vespis, perdicibus, & agricola. 94

VESPÆ *semel, & perdices siti concitæ, cùm simul conuenissent, ad rusticum quendam tendunt, potum ab eo petentes, atque pollicentes, quòd sibi pro aqua largas referrent gratias. Quippe perdices vineã se ei fodere promittũt, quòd plenos vites producũt racemos. Vespæ verò, se vineã circũeundo custodire, ac fures inde amouere largè offerũt. Quib. agricola inquit: Duos habeo boues, qui cùm nihil ꝑmittãt, eandẽ hanc operã nihil minus præstãt. Itaq; satius est mihi illis, quã vobis aquã exhibere.*

Fabula significat, non esse illis subueniendum, qui nauci & inutiles sunt.

¶ De Ioue. 95

CVM *Iupiter nuptias celebraret, cuncta animalia sibi munera obtulerunt, quæque pro viribus suis. Verùm enim serpens rosam legit, illamq; ore tenens Ioui obtulit. At Iupiter vt eum aspexit, palàm inquit: Ab omni-*

bus dona libenter equidem accipio, verùm à serpente id haud quaquam facio.

Fabula significat, quod improborum munera non esse sine dolis, quiuis prudens sibi persuadere iubet.

¶ De simia. 96

SIMIAM *duos catulos parere fertur, quorum ad vnũ duntaxat afficitur, & ex affectu illum diligentißimè nutrit. Alterum verò odit negligitque. Contigit autem quòd qui in delicijs habebatur, à simia in somnis fuit suffocatus. Quamobrem qui neglectus erat, ad perfectã vsque ætatem ceu matris delicijs fuit educatus.*

Fabula significat, quòd hominum prudentiam fortuna procul dubio superat.

¶ De pulice. 97

PVLEX *cùm quendam morsu aliquando stimulasset, captusque rogaretur, quisnam esset qui membra sibi depasceret, ait se ex eo animaliũ genere esse, quibus à natura datum esset, vt eo pacto vitam viuant, nec eum occidere velit, cùm multum mali facere ipse sibi nequeat. At homo ille subridens, inquit ad eum: Eò magis meis necaberis manibus, quoniam nec multum, nec parũ abs re quempiam lædere licet.*

Fabula significat, quòd malorum, licet parum vel multũ delinquant, misereri haud oportet.

¶ De pulice, & homine. 98

PVLEX *suo solito more saltans, super hominis pede resedit, illumq́; morsu acriter pupugit. Qua punctione homo ille grauiter concitus, pulicem cepit, ac vnguibus obtundere voluit. Sed pulex manibus exiliẽs mortẽ vitauit. Tũ homo exclamans ait: O Hercules malorũ extinctor, ecquid mihi in hũc opprimendũ præsens nõ fuisti?*

Fabula significat, quòd non in minimis, sed in magnis arduisque rebus, à Dijs auxilium quis implorare debet.

De for-

¶ De formicis, & cicada. 99

HYEMIS *erat medium, cùm formicæ sparsim triticū apricabant. Quod cicada aspiciens, cùm inedia conficeretur, accessit ad eas, ac triticū pro alimonia, vt sibi concederent, orauit. Et cùm formicæ eam rogarent quidnā æstate fecerit, num segnis & otiosa eo tempore steterit, illis cicada ait: Neque segnis aut otiosa steti, sed cantu cecini, quo laborem viæ viantibus leuabam. Qua re audita, formicæ subridentes, inquiunt: Si æstate cecinisti, vt viantes delectares, nunc salta ne frigore conficiaris.*

Fabula significat, quòd qui, quæ facienda sunt, suo tempore non fecit, is in angustias quando non putat, incidit.

¶ De viro, & vxoribus. 100

TEMPVS *erat veris, quo quidam in delicijs educatus cùm nec iuuenis, nec senex esset (semicanus enim erat capillos) duas simul duxit vxores, vnā quidem natu grandem, alteram verò iuniorem. Cùm omnes eandem habitarent domum, vxor anus vt virum in amorem suū totum pelliceret, quotidie viro caput pertractans, nigros sibi euellebat capillos, iunior verò canos. Postremò ita illum depilarunt, quòd caluum, atque ridiculum, non sine summo opprobrio, virum reddiderunt.*

Fabula signif. ꝙ nulla melior salus senibus existit, quā fœminis carere, & maximè iunioribus, nisi penitus obrui se velint.

APOLOGI EX CHILIADIBVS ADAGIORVM ERASMI DESVMPTI AD COMMVNEM PVERORVM FRVCTVM.

¶ De Vulpecula, & Pardale.

CVM *aliquando pardalis vulpem præ se contemneret, quòd ipsa pellem haberet omnigenis colorū maculis variegatam, respondit vulpes sibi id decoris in animo,*

nimo esse, quod illi esset in cute.

Neque verò paulò satius est, ingenio præditum esse vafro, quàm cute versicolore.

¶ De vulpe, & fele.

C V M *aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactaret sibi varias esse technas, adeo vt vel peram haberet dolis refertam: Feles autem responderet sibi vnicam duntaxat artem esse cui fideret, si quid esset discriminis. Inter cõfabulandũ repentè canum accurrentiũ tumultus auditur. Ibi feles in arborẽ altissimã subsilijt, cũ vulpes interim à canũ agmine cincta, capitur.*

Innuit fabula præstabilius esse nonnũquã vnicũ cõsiliũ, modo id sit verũ & efficax, quàm plureis dolos, consiliaq; friuola.

¶ De rege, & simijs.

R E X *quidam Aegyptius aliquot simias instituit, vt saltandi rationem perdiscerent: vt enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit, ita nec aliud actus humanos aut melius, aut libentius imitatur. Artem itaque saltandi protinus edoctæ saltare cœperũt, insignibus indutæ purpuris, ac personatæ. Multoque iam tempore maiorem in modũ placebat spectaculum, donec è spectatoribus facetus quispiam nuces, quas clanculum in sinu gestabat, in medium abiecit: ibi statim simiæ simul atque nuces vidissent, oblitæ choreæ, id esse cœperunt, quod antea fuerant, ac repentè è saltatricibus in simias redierunt. Contritisque personis, dilaceratis vestibus, pro nucibus inter se depugnabant, non sine maximo spectatorum risu.*

Admonet hæc fabula, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

¶ De asino, & viatoribus.

D V O *quidam, cùm in desertis locis asinum quempiam*

fortè fortuna nacti essent, contendere inter se cœperunt, vter eorum, vti suum, domum abduceret. Nam vtriq; pariter à fortuna videbatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

Quidam à præsentibus commodis, quibus ob inscitiam vti nesciunt, excidunt.

¶ De piscatoribus.

PISCATORES *aliquot, iacto reti, testudines eduxerunt: eas cũ essent inter sese partiti, neque sufficerẽt omnibus comedendis, Mercuriũ fortè accedentẽ inuitarunt ad conuiuiũ. At is intelligens se neutiquã humanitatis gratia vocari, sed vt eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitq; vt ipsi suas testudines ederẽt, quas cepissent.*

Nonnulli posteaquam inconsultè quippiã adorti sunt, aliorũ implorant auxilium, quos suo negotio admisceant.

¶ De asino.

APVD *Cumanos asinus quispiã pertæsus seruitutẽ, abrupto loro in syluã aufugerat: illic fortè repertum leonis exuuiũ corpori applicabat suo, atque ita pro leone sese gerebat, homines pariter, ac feras voce caudaq; territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modũ regnabat aliquandiu personatus hic asinus, pro leone immani habitus ac formidatus, donec hospes quispiam Cumas profectus, qui sæpe numero viderat & leonem & asinũ, atque ob id nõ erat difficile dignoscere, auriũ prominentiũ indicio, neq; non alijs quibusdã coniecturis asinũ esse deprehendit, ac probè fustigatũ reduxit, dominoq; agnoscẽti reddidit. Interim autẽ risũ non mediocrẽ concitabat omnibus Cumanis asinus iam agnitus, quos dudum creditus leo, metu propemodum exanimauerat.*

Haud facilè tegimus vitia, quæ à puero nobiscũ adoleuerũt.

De sca-

¶ De Scarabeo, & aquila.

SCARABEVS *aliquando ſpretus ab aquila, cœpit de vindicta quoquo pacto ſumenda cogitare. Perueſtigauit vbinam aquila nidum collocaſſet, adrepſit ſcarabeus, et oua ſimili dolo deiecit. Aquila cùm ſæpius domicilium commutaſſet, neque quicquam proficeret, Iouem patronum adijt, exponit calamitatem ſuam. Is iubet vt ſuo in gremio ponat oua, vel iſtic in tuto futura. Et huc per veſtis lacinias, ſinusq́ prorepſit pertinax ſcarabeus, haudquaquam ſentiente Ioue. Deinde vbi videt oua commoueri Iupiter, neque ſatis animaduertit, territus rei nouitate, excuſſo gremio in terram deiecit.*

Monet hæc fabula, neminē quātūuis puſillū cōtēnendū eſſe.

¶ De ſimijs, & pardale.

IN *Mauruſia ſimiarum eſt ingens copia. Pardalis autē animal eſt natura ſimijs infeſtiſſimum, quas tamen viribus aſſequi non poteſt, nimirum illis in ſummas arbores ſubuolantibus. His itaque dolis in eas vtitur: Sternit ſe ſupinam ſub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit ſeſe. Gaudent eo ſpectaculo ſimiæ conſidentes in arbore, deinde vbi iam mortuam arbitrantur, vnam aliquā emittunt exploraturam, num verè mortuus ſit hoſtis. Illa cautim ac pedetentim accedens, vbi nullum vitæ videt argumentum, Pardale nimirum modis omnibus cadauer imitante, demum audet etiam conſcendere. Quod ſimul ac reliquæ ſimiæ conſpexerunt, iam depoſito omni metu deſcendunt, & Pardalim omnia ferentem circunſultant. Poſtremò conculcant inſultantes ludibrij cauſa, donec ſentiens illas iam ſaltando defatigatas derepentè reuiuiſcens, aliam dentibus, aliam vnguibus corripit, dilaniat ac deuorat.*

Hoſtem

Hostē simulantē vires deficere, summopere fugiendum esse.

¶ De Satyro, & rustico, Aniani fabula, Erasmo quoque interprete.

SATYRVS *quidam cùm vehemēter algeret, hyberno gelu supra modum sæuiente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admiratus autem cur homo insflaret in manus ori admotas, rogauit cur ita faceret: is respondit, vt frigidas manus halitus tepore calefaceret. Deinde vbi extructo foco, apposita mensa in pultem feruidam rursum inflaret, magis etiam admiratus sciscitatus est quid hoc sibi vellet. Vti pultem, inquit, ille, nimiū feruentem halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mensa: Quid ego audio, inquit? Tun' eodem ex ore pariter, & calidum & frigidum efflas? Valebis, neque enim mihi ratio est cum eiusmodi homine commune habere hospitium.*

Notātur bilingues, qui eundē modò laudāt, modò vituperāt.

FABVLA EX LAMIA POLITIANI DESVMPTA.

AVES *olim propè vniuersæ noctuam adierunt: rogaruntque eam, ne posthac in ædium cauis nidificaret, sed in arborum potius ramis, atque inter frondes: ibi enim vernari suauius. Quin eidem quercum modò enatam pusillam, tenellamq; adhuc ostendebant, in qua scilicet molliter (vt aiebant) & sedere ipsa aliquando noctua, & suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se negauit. Quin inuicem consilium dedit his, ne arbusculæ illi se crederent: laturam enim quandoque esse viscum, pestem videlicet auium. Contempsere illæ (vt sunt leue genus, & volaticum) sapientis vnius noctuæ cōsilium. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iam*

fron-

frondosa erat. Ecce ibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, lasciuiunt, subsultant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea viscum protulerat. atque id homines animaduerterant. implicitæ ergo repentè ibi omnes pariter misellæ, ac frustra eas sera pœnitentia subijt, quòd salubre illud consilium spreuissent. Atque hoc esse aiũt, cur nunc aues omnes, vbi vbi noctuã viderint, frequentes eam quasi salutãt, deducũt, sectantur, circunsidunt, circumuolitant. Etenim consilij illius memores, admirantur eam nunc vt sapientem, stupentque densa caterua, vt videlicet ab ea sapere aliquando discant. Sed opinor frustra, imò verò etiam interdũ cum magno ipsarũ malo. Nã veteres illæ noctuæ reuera sapientes erãt: nũc multæ noctuæ sunt, quæ noctuarũ quidẽ plumas habent, & oculos, & rostrum, sapientiam verò non habent.

Bene monentis consilia ne spernas, hæc fabula docet.

APOLOGVS EX SECVNDO LIBRO PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA DESVMPTVS.

SATA *est olim cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum & ramis patulis extabat: cucurbita verò cùm multis pluuijs, atque cæli temperamento creuisset, lasciuire incipit, & ramulos audacius porrigere. Iam serpebat in pinum, iam surgere, iam ramos, et frondes inuoluere audebat, ampliora folia, candentis flores, prægrandia poma, & virescentia ostentans. Itaque tanto fastu, atque insolentia intumuit, vt pinum arborẽ ausa sit aggredi. Et vides, inquit, vt te supero, vt amplis folijs, vt virore præsto, & iamiam ad cacumẽ prosurgo? Tum pinus, quæ senili prudentia, & robore pollebat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciã, sed*

ita

ita ad eã respõdit: Ego hîc multas hyemes, calores, æstus, variasque calamitates perui ci, & adhuc integra consisto. Tu ad primos rigores minus audaciæ habebis, cùm et folia concident, & viror omnis aberit.

Secundis rebus non esse superbiendum.

FABELLA DE CORVO ET LVPIS, EX IOAN. ANTONIO CAMPANO DESVMPTA.

CORVVS *lupos per ardua montium iuga comitatur, partem sibi prædæ fieri postulat, qui eos secutus nullo tempore destituisset, sociusque fuisset. Repulsus deinde à lupis, tanquam non eos, sed prædam, cibumque secutus, nec minus luporum si occiderentur, quàm cæterorum animalium exta fuisset voraturus.*

Non quid agamus semper inspiciendum est, sed quo sumus animo, cùm agimus.

¶ Altera de partu terræ. ex eodem.

TVRGIDA *olim facta tellus, & mirum in modum tumida, magnum aliquod paritura videbatur. Accurrunt finitimi, stupent agricolæ, terræ partum inter spem metumque expectant, alij Typhoëa illum centimanum, alij montes erupturos putabant. Aperitur terra, prodijt mus: & quod miraculo fore omnibus arbitrabantur, in risum atque iocum converterunt.*

Non semper credendum promissis magnificis.

APOLOGVS DE MEMBRIS ET VENTRE, EX PLINIO.

HVMANI *artus cũ ventrẽ ociosum viderẽt, ab eo discordarũt, et suũ illi ministeriũ negauerũt. Cũ eo pacto et ipsi quoq; deficerẽt, intellexerũt ventrẽ cibos acceptos p omnia mẽbra diuidere, et cũ eo in gratiã redierũt.*

Magnæ res discordia pereunt, concordia valent.

EX SECVNDO NOCTIVM ATTICARVM GELLII, APOLOGVS ÆSOPI PGRYGIS MEMORATV NON INVTILIS.

AESOPVS ille è Phrygia fabulator, haud immeritò sapiens existimatus est, cùm quæ vtilia monitu, suasuque erant, non seuerè non imperiosè præcepit, et censuit, vt philosophis mos: sed festiuos, delectabilesque apologos commentus, res salubriter, ac prospicienter animaduersas, in mentes, animosq́ hominum, cum audiendi quadam illecebra induxit. Velut hæc eius fabula de auiculæ nidulo, lepidè atque iucundè præmonet, spem, fiduciamque rerum, quas efficere quis possit, haud vnquã in alto, sed in semetipso habendam. Auicula, inquit, est parua: nomen est cassita, habitat, nidulaturque in segetibus, id fermè temporis, vt appetat messis, pullis iãiam plumãtibus. Ea cassita, in sementes fortè concesserat tempestiuiores: propterea frumentis flauescentibus, pulli etiam tunc inuolucres erant. Cùm igitur ipsa iret cibum pullis quæsitum, monet eos, vt si quid ibi nouæ rei fieret, diceretur ue animaduerterent, idq́ vti sibi, vt redisset, nunciarent. Dominus postea segetum illarum, filium adolescentẽ vocat, & , Vides'ne, inquit, hæc ematuruisse, & manus iam postulare? Idcirco die crastino, vbi primùm diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant, operamque mutuam dent, & messem hanc nobis adiuuent. Hæc ille vbi dixit, discessit. atque vbi redit cassita, pulli trepiduli circumstrepere, orareque matrem, vt statim iam properet, atque alium in locum sese asportet: nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, vti luce oriente veniant, & metant. Mater iubet eos à metu ocio-

ociosos esse. Si enim dominus, inquit, messem ad amicos reiecit, crastino seges non metetur, neque necesse est hodie vt vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat, dominus quos rogauerat opperitur. Sol feruet, & fit nihil, & amici nulli erãt. Tum ille rursum ad filium: Amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt: quin potius imus, & cognatos, affines, vicinosq́ nostros oramus, vt adsint cras tẽpori ad metendũ? Itidem hoc pulli pauefacti matri nuntiant. Mater hortatur, vt tum quoque sine metu, ac sine cura sint: cognatos, affinesq́ nullos fermè tã esse obsequibiles ait, vt ad laborem capessendũ nihil cunctentur, & statim dicto obediant. Vos modò, inquit, aduertite, si modò quid denuò dicetur. Alia luce orta auis in pastum profecta est, cognati, & affines operam, quam dare rogati sunt, supersedent. Ad postremum igitur dominus filio: Valeãt, inquit, amici cum propinquis. Afferes prima luce falces duas, vnam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum nosmetipsi nostris manibus cras metemus. Id vbi ex pullis dixisse dominum mater audiuit: Tempus, inquit, est cedẽdi, & abeundi: fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. In ipso enim vertitur cuia est res, non in alio vnde petitur. Atque ita caßita nidum migrauit, & seges à domino demessa est. Hæc quidem est Aesopi fabula de amicorum, & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud sanctiores libri philosophorum monent, quàm vt in nobis tãtùm ipsis nitamur? Alia autem omnia, quæ extra nos, extraq́ nostrum animum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus. Hunc Aesopi Apologum Qu. Ennius in satyris scitè admodum & venustè versibus quadratis composuit,

quorum duo postremi isti sunt, quos haberi cordi, & memoriæ operæpretium esse hercle puto.

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere poßis.

DE ARIONE, ET DELPHINO, EX LIB. XVI. GELLII.

VETVS & *nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terra atque insula omni Lesbius fuit. Eum Arionẽ Rex Corinthi Periander amicũ amatũq; habuit, artis gratia. Is inde à Rege proficiscitur terras inclytas, Siciliam, atque Italiam visere. Vbi eò venit, auresque omnium mentesque in vtriusq; terræ vrbibus demulsit: in quæstibus istic, & voluptatibus, amoribusq; hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia & re bona multa copiosus, Corinthũ instituit redire. Nauem igitur & nautas, vt notiores, amicioresq; sibi Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto, nauique in altum prouecta, prædæ, pecuniæq; cupidos cepisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam cæteraque sua vt haberent dedisse, vitam modò sibi vt parcerent, orauisse. Nautas precum eius harum commisertum esse illatenus vt ei necem adferre per vim suis manibus temperarẽt. Sed imperauisse, vt iam statim coràm desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perdita, id vnum postea orauit, vt priusquam mortem oppeteret, inducere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius consolabile. Feros & immanes nautas prolubium tamen audiendi subit. Quod orauerat impetrat. Atque ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansq; in summæ puppis foro,*

ro, carmen, quod Orthiū dicitur, voce sublatißima cantauit. Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuq́ omni, sicut stabat, canebatque, eiecit sese procul in profundū. Nautæ haudquaquam dubitantes quin perisset, cursum quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouū & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repentè inter vndas adnauisse, & dorso super fluctus edito vectauisse, incolumique eum corpore & ornatu, Tænarum in terram Laconicam deuexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse, talemque Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, sese obtulisse, eique rem, sicut acciderat, narrauisse. Regem isthæc parum credidisse, Arionem quasi falleret, custodiri iußisse. Nauitas requisitos ablegato Arione dißimulanter interrogasse, et quid audissent in ijs locis vnde venissent, super Arione: eos dixisse hominem cùm inde irent, in terra Italia fuisse, eumque illic bene agitare, & studijs delectationibusque vrbium florere, atque in gratia pecuniaque magna fortunatum esse. Tum inter hæc eorum verba, Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum eiaculauerat, extitisse. Nautas stupefactos ire inficias non quisse.

Documento est hæc fabula, plus aliquando inueniri in brutis animalibus clementiæ, quàm in his hominibus, qui præter opes nihil habent pensi, præter figuram nihil humanitatis.

NICOLAI GERBELEI PHORCENSIS APOLOGVS LEPIDISSIMVS.

¶ De aranea, & podagra.

ARANEA *paululum à texendo opere quietior, animi relaxandi gratia commodùm deambulabat.*

Huic se obuiam præbuit Podagra, tametsi paßibus ambiguis admodum ægrè illam assequeretur. Eius diei itinere vtcunque emenso, non longè aberant ab oppidulo, cui regionis eius incolæ Tyche nomen indiderant. Vtrique consilium fuit, conditionis suæ hospitem peruestigare. Aranea non maximoperè data opera in opulenti cuiusdam ciuis ædes diuertit, inibi quaquauersum telas suas præpandebat, prætendebatque retia. aderant illicò nescio qui trygodæmones, qui textrinam illius demoliebantur. Momentaneũ itaque erat ipsius quò etiãnũ cunque se verteret ædificium. Nusquam etenim scopariorum oculatas scopas poterat effugere. Misera planè quæ in tanta rerum omnium affluentia, sola egebat proturbabaturque. Podagra verò mendicabuli instar vix tandem egestosi cuiuspiam tuguriolum impetrarat. In id loci cùm decubuisset, nihil nõ experiebatur miseriarum. Apponebatur cœnaturienti panis cibarius, aridis vix faucibus hianti hydropoterium. Iamque diurno itinere lassescenti, torus ligneus, nullis frondibus, nullo gramine, sed prætenuibus paleis insternebatur. Atqui dicere non est huius instituti, quàm conuenerint malè membris mollibus, cuticulæ (vt ita dixerim) holosericæ, stragula tam dura, tam barbari villi. Oriente igitur vix tandem illo augusto sidere, quod exaudit, quod intuetur omnia, conuenêre rursum Aranea simul & Podagra. Prior Aranea præteritæ noctis molestias, tot locorum commutationes denarrat, nũc hero exprobrans munditiem, nunc nimiam scopariorum obseruantiam. Podagra cõtrà de hospitis sui egestate compluria comminiscitur. Nec otium habet admonstrare Araneæ liuidas vibices, quas adamantina fulcra tenellæ cuticulæ impresserant.

rant. Consilium ineunt, Araneam deinceps pauperum tuguria, Podagram verò diuitum aulas subingredi: in hanc Aranea pedibus, Podagra animis vadit sententiam. Veruntamen tenebris iam increscentibus, vrbi sese approximãt: Podagra instituti non immemor pedetentim se in numosi cuiusdam domũ illatebrauit. Qua commodùm ab hero conspecta, Dij boni, qua beneuolentia, qua humanitate, quibus nominibus excipitur! Supponuntur, substruunturq́ olorinæ culcitræ, toralia perdicũ subalaribus plumis referta. Taceo vinũ dulce, vinũ nigrum, Lesbium, Surrẽtinum. Taceo ficedulas, phasianos, atque eas auiculas quæ binis superbiũt cordibus. In summa nihil deliciarum, nihil voluptatum non exhauriebat. Aranea pauperis casam ingressa, telas orditur quaquauersum parietes inter patent, retia suspendit. Orbiculari operi manibus, pedibusq́ue incumbit. Reficit abrupta, perficit intercepta: Et, vt dicam breuiter, vacua dominatur in aula. Nullas insidias, nullius formidat insultus. Imò verò etiam iam scopis superior omnibus. Non multò pòst Podagra Araneam conuenit, delicias suas, felicitatem, fortunas ampliter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperium suum, ædificandi texendiq́ libertatem. Placuit tandem hæc vtriusque sententia, quorsumcunque proficiscerentur, Podagram in diuitum domos, Araneam in pauperum tuguria debere diuertere.

Apologus hic tametsi ad vsus varios accõmodari queat, id tamen in primis declarat, alium alio loco fortunatiorem esse. Prætereà morborũ domiciliũ esse diuitũ aulas. Ad vltimum nusquã libertatem maiorem, quàm vbi diuitiarum minus.

FINIS.

LAVRENTII ABSTEMII FABVLAE ELEGANTISSIMAE.

Laurentius Abstemius Octauiano Vbaldino, Comiti Mercatelli, S. P. D.

EDITVRVS hunc apologorũ libellum, quẽ de numero fabularum Hecatomythium nuncupaui, multum diuq; dubitaui Octauiane princeps inclyte, tuo'ne eum nomini potiſsimũ dedicarem. Nam cùm tuam in me non ſine plurimis beneficijs perſpicerem beneuolentiam, non aliquid mearum vigiliarum tibi deuouere, ingratiſſimi hominis eſſe videbatur. Rurſus cùm tuorum in me officiorũ numerũ, diuinasque virtutes tuas mecum ipſe reuoluerem, indignum tantis meritis, tantáque ſapientia munuſculum hoc eſſe cernebam. Hanc tandem dubitationem meã amouit humanitas & prudentia tua, qua nõ tam res tibi dono datas, quàm offerentium voluntatem ſoles inſpicere. Addidit quoque mihi animum Guidus Vbaldus clariſſimus dux, & princeps meus omni laude maior, qui opuſculum meum de nonnullis locis obſcuris ſuperiori anno ei dedicatũ vultu ita placido, & ſerena fronte ſuſcepit, vt ſperare meritò poſſem hoc tibi qualecunque fore non ingratum. Non mediocriter etiam me incitarunt Georgius Emus pro Venetis hic agens legatus, nõ ſolum patritia nobilitate, verũ etiã bonarũ artiũ ſtudijs clarus, & Carolus Verardus Cæſenas Archidiaconus Cæſenę, & Alexandri Pontificis Maximi cubicularius, vir omni literarum genere pręſtans, necnõ Renatus

Melioratus, & Robertus Vrſus Ariminenſes Iuriſconſulti clariſsimi, nec minus, qui humanitatis vacant ſtudijs, eruditi. Hi enim alijque cōplures optimi harum rerum cenſores, cùm hunc libellum legiſſent, multis me verbis ſunt ad editionem cohortati. Non putaui igitur tam humano principi hoc munus ingratum futurum, quod tot eruditis antè viris placuiſſe cognoueram. Accipe igitur hoc quicquid eſt libelli, ab Abſtemio tuo, cuius mentem animumque, ſi penitus poſſes inſpicere, in hac tenui re, magnum munus tibi iudicares oblatum. Ne quis autem inutilem, & inanem hunc meum ſcribendi laborem exiſtimaret, præfatiunculam quandã præponendam cenſui, qua intelligeretur, doctos etiam & claros viros in magnis rebus huiuſmodi fabellis, non voluptatis tantum, verumetiam vtilitatis gratia delectatos. Sedulò dedimus operam, vt ſeria potius, quàm iocos ſaperent, vnde ridiculas multas quæ inter componendum ſeſe mihi offerebant, conſulto præterij, quia nimis laſciuæ, & tanti principis grauamine mihi videbantur indignæ. Non tamen ita agreſtis eſſe volui, quin eas aliqua vrbanitate aſpergerem, maximè ad principem ſcribens, cùm principes curarum mole preſſi, ſoleant interdum recreandi animi gratia, iocos appetere. Vale.

PROOEMIVM.

COGITANTI mihi varia ſcriptorum genera, qui vt humanæ vitæ prodeſſent, cogitationes ſuas literarũ mandauêre memoriæ, qui apologos ſcripsêre, non poſtremo loco digni eſſe videntur. Non enim modò mortalium animos

mos incredibili quadam afficiunt voluptate, verum etiam ad res honestas, vtilesque peragendas suis fabellis magis quàm philosophi suis præceptis, alliciunt. Nam ita in legentium animos quadam iucunditate penetrant, & quibusdam similitudinibus, quæ maximè ad commouendos animos valent, quid vitandum faciendumque sit ostendunt, vt omnes etiam inuiti, illis assentire cogantur. Sensus enim audiendi fastidiosissimus, res etiam vtiles, honestasque haud facilè admittit, ni fuerint aliqua vrbanitate conditæ. Testis quidam orator Atheniensis, qui ad Athenienses verba faciens, cùm eos minus attentos videret, rogauit vt saltem fabulã audire dignarentur. Quo impetrato: Ceres, inquit, & Hirundo, & Anguilla simul iter facientes, ad quendam fluuium peruenerunt. Hirũdo quidem superuolauit: Anguilla autem amnem tranauit. Quod quum dixisset obticuit. Interrogantibus autem illis quid Ceres egisset: Vobis, inquit, dea vestra succensuit, qui eos, qui vobis vtilia suadent, audire nolentes, tam attentis auribus confabulantes auditis. Quantam vim Apologi habeant ad animos commouendos, quum multis possem, tribus ero contentus exemplis ostendere. Samij rectorem populi morti addicere volentibus, Aesopus hac fabella dissuasit dicens: Vulpem quandam fluuium transeuntem, in lacunam fuisse propulsam. Vnde quũ exire non posset, tenaci limo retenta, muscarum affligebatur aculeis. Quod Herinaceus conspicatus, misericordia motus est, interrogauitque an vellet vt ab ea muscas abigeret. At illa abnuit, dicens: Hæ meo sanguine iam plenæ, paruam mihi possunt inferre molestiam: si autem has abegeris, aliæ famelicæ superuenient, quæ quicquid mihi superest sanguinis exhaurient. Ita ô viri Samij vobis eueniet. Si enim hunc rectorem vestrum iam locupletem occideritis, alios eligatis necesse est: qui dum se opibus volent implere, quicquid hic vobis reliquit, eripiēt. His verbis moti Samij, ab incœpto destitêre. Hac ratione adductus Tiberius Cæsar, diuturnos magistratus dabat. Vnde, vt refert Iosephus, sub eo, per viginti annorum spatia, per duos tãtum præsides, Cratum scilicet & Pilatum, est gubernata Iudæa. Non parcit populis regnum breue, vt inquit Statius. Himerenses Phalaridem Agrigentinorum tyrãnum ducem exercitus sui eligere volentes, Stesichorus poëta hoc apologo deterruit: Equus, dicens, solus pascebat in prato. Adueniente autem ceruo, & pascua corrumpente, consuluit hominem qua possit illum arte punire. Cui homo: Si frænum, inquit acceperis, & me armatum dorsum tuum ascendere permiseris, Quum huic con-

consilio esset obsequutus, ceruum quidem hominis auxilio victor abegit, sed non amplius hominem dorso, non frænũ depulit ore. Ita, inquit Stesichorus, viri Himerenses vobis eueniet, si Phalaridem ducem efficietis. Hostes quidem vestros punietis, sed huic tyranno perpetuo seruietis. Quibus verbis territi Himerenses, huiusmodi ducis eligendi consiliũ deposuêre. Quum populus Romanus ab Senatu secessisset, quòd tributum, & militiam toleraret, nec vllo pacto reduci posset, nonne Agrippa Menenius eum hoc apologo reuocauit? Olim, inquiens, Quirites, humani artus ventrem otiosum & desidem intuentes, ab eo discordarũt, nec amplius illi cibum ministrare decreuerunt. Sed quum ipsi quoque alimenta illi denegando, quæ per omnia membra deferuntur, deficerent, cum eo in gratiam redierunt. Eodem, inquit, modo, Senatus & populus, quasi venter & membra alterum alterius auxilio indigent: & vt discordia intereunt, ita concordia valent. Qua fabula populus reuocatus, cum Senatu in gratiam rediijt. Non immeritò igitur non solùm Græci & Latini Poëtæ, vt Hesiodus & Horatius, huiusmodi fabulas suis operibus inseruerunt, verum etiam maximi & celeberrimi philosophi, vt Plato, Aristoteles, Plutarchus, & multi alij eas plurimum commendauerunt, & ad institutionem moralis & ciuilis vitæ, non minimum facere arbitrati sunt. Quocirca Omnibonus Leonicenus, & Laurentius Valla, viri ætatis nostræ doctissimi, paucos Aesopi apologos è Græco in Latinum vertere, ꝙ sibi laudi, cæteris verò voluptati & vtilitati fore non dubitarunt. Et iure quidem. Leguntur enim, & in doctissimorum virorum manibus quotidie versantur. Non video igitur, quur has componẽdo fabulas laude fraudari debeam, quam cæteri Latini ex translatione cõsequuti sunt: nisi adeò inuidi simus, vt Latinis licere non putemus, quod Græcis est cũ summa omnium laude concessum.

¶ De mure in cista nato. 1

MVs in cista natus, omnem ferè ibi duxerat ætatẽ, nucibus pastus, quæ in ea seruari solebãt. Dum autem circa oras cistæ ludens decidisset, quæreretque ascensum, reperit epulas lautissimè paratas: quas dum gustare cœpisset: Quàm stultus, inquit, hactenus fui, qui toto in terrarũ orbe nihil melius cistula mea esse credebam.

Ecce

Ecce quàm suauioribus vescor hîc cibis.

Hęc fabula indicat, non sic patriam diligendam, si ignobilis sit, vt alia non adeamus loca: quũ alibi beatiores esse poſsimus.

¶ De rustico impetrante, vt triticum absque aristis nasceretur. 2

IMPETRAVERAT à *Cerere rusticus quidam, vt triticum absque aristis nasceretur, ne metentium triturantiumq́ manus læderet: quod vbi inaruit, à minutis auibus depastum est. Tum rusticus: Quàm digna, inquit patior, qui paruæ commoditatis causa emolumenta quàm maxima perdidi.*

Fabul. indicat, parua incommoda maiori vtilitate pensanda.

¶ De accipitre columbam insequente. 3

QVVM *accipiter columbã præcipiti insequeretur volatu, villam quandam ingressus à rustico captus est: quẽ blandè vt se dimitteret obsecrabat: Non enim te læsi, dicens. Cui rusticus: Nec hæc, respondit, te læserat.*

Fabul. indicat meritò puniri, qui innocentes lædere conãtur.

¶ De aranea, & hirundine. 4

ARANEA *in hirundinem excandescens, quæ muscas, qui suus est cibus, capiebat, retia in foribus, per quas volitare solebat, vt eam caperet, suspenderat. Hirundo verò aduolans, retia cum textrice per aëra portabat. Tunc aranea in aëre pendens, & sese iamiam perituram intelligens: Quàm iustè hæc patior, dicebat, quæ minima volatilia magno labore vix capiẽs, credidi tam magnas aues posse comprehendere.*

Hac admonemur fabula, ne viribus maiora aggrediamur.

¶ De rustico amnem transituro. 5

RVSTICVS *torrentem transiturus, qui fortè imbribus excreuerat, quærebat vadum. Et quũ primam eius fluminis partem tentasset, quæ quietior placidiorq́ vide-*

debatur, reperit eam altiorem quàm animo erat opinatus. Rursus ibi breuiorem tutioremque adinuenit, vbi maiori aquarum strepitu fluuius decurrebat. Tunc secum: Quam tutius, inquit, clamosis aquis, quàm quietis & silentibus vitam nostram credere possumus.

Hac admonemur fabula, vt minus verbosos & minaces, quã quietos extimescamus.

¶ De columba, & pica. 6

COLVMBA *interrogata à pica, quid eam induceret, vt in eodem semper loco nidificaret, quũ eius pulli inde sibi semper surriperentur: Simplicitas, respondit.*

Hæc indicat fabula, facilè esse viros probos sæpe decipi.

¶ De cuculo, & accipitre. 7

IRRISVS *ab accipitre cuculus, quòd quum sibi & corpore par, & colore non absimilis esset, præ angustia animi potius vermibus terrenis, quàm suauibus aliarum auium carnibus vesceretur: vidit paucis pòst diebus accipitrem à rustico, cuius columbas insectabatur, captum ad metum cæterorum ex alta turre pendêre. Cui cuculus: Quàm melius tibi, inquit, amice fuisset vermes venari, quàm alienas aues impetere.*

Hæc fabula indicat, eorum vitã tutiorẽ esse & magis probandam, qui suis rebus sine periculo cõtenti sunt, quàm illorũ qui aliena appetentes, adeunt magna vitæ discrimina.

¶ De asino, & vitulo. 8

ASINVS *& vitulus in eodem pascentes prato sonitu campanæ hostilem exercitum aduentare præsenserant. Tum vitulus: Fugiamus hinc ô sodalis, inquit, ne hostes nos captiuos abducant. Cui asinus: Fuge tu, inquit, quẽ hostes occidere & esse consuerũt. Asini nihil interest, cui vbique eadem ferendi oneris est proposita conditio.*

Hæc fabula seruos admonet, ne dominos magnopere mutare formident, modò prioribus deteriores futuri non sint.

De vul-

¶ De vulpe, & mulieribus gallinam edentibus. 9

VVLPES *iuxta villam quandam transiens, conspexit cateruam mulierum, plurimas gallinas opipare assatas alto silentio comedentem: ad quas conuersa, Qui clamores, inquit, & canum latratus contra me essent, si ego facerem, quod vos facitis? Cui respondens quædam anus: Peßima animalium, inquit, nos quæ nostra sunt comedimus, tu verò aliena furaris.*

Hæc fabula nos admonet, ne putemus nobis in aliena licere, quod proprijs dominis licet.

¶ De caponibus pinguibus, & macro. 10

VIR *quidam complureis capones in eodem ornithoboscio inclusos, largo nutricauerat cibo: qui pingues effecti sunt omnes, præter vnum, quem vt macilentum irridebant fratres. Dominus nobiles hospites lauto & sumptuoso accepturus conuiuio, imperat coco, vt ex his interimat coquatq́, quos pinguiores inuenerit. Hoc audientes corpulenti, sese affligebant, dicentes: Quantò præstitisset nos macilentos esse?*

Hæc fabula in pauperum solamen conficta est, quorum vita tutior, quàm diuitum.

¶ De trabe, & bobus eam trahentibus. 11

TRABS *vlmea de bobus cõquerebatur, dicẽs: Ingrati, ego multo tẽpore meis vos frondibus alui, vos verò me nutricem vestrã per saxa & luta trahitis. Cui boues: Gemitus, suspiriaq́ nostra, & stimulus quo pũgimur, te docere possunt, quòd te trahamus inuiti. Ignouit trabs.*

Hæc nos docet fabula, ne in eos excandescamus, qui non sua sponte nos lædunt.

¶ De arboribus pulchris, & deformibus. 12

ARBORES *complures in eodem creuerant loco proceræ, rectæ, enodesq́, præter vnam humilem, paruã nodosamq́*

samq́, quã, vt deformem, pusillamq́, cætera ludibrio habere solita erant. Aedificaturus domũ loci dominus, iubet omnes excîdi, præter eam, quæ breuitate & deformitate sua ædificium indecorum redditura videbatur. Cæteris excisis deformis hæc secũ dicebat: De te nõ amplius querar fortuna, quòd me turpem genueris, quũ formosis tam magna videam imminere discrimina.

Hæc fabula nos admonet, ne doleamus nos natos esse deformes, quum multis formositas sæpe nocuerit.

¶ De cycno in morte canente reprehenso à ciconia. 13

CYCNVS *moriens, interrogabatur à ciconia, quur in morte, quam cætera animalia adeò exhorrent, multò suauiores, quàm in omni vita emitteret sonos, quũ potius mœstus esse deberet. Cui cygnus: Quia inquit, neque cibi quærẽdi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos extimescam.*

Hæc fabula nos admonet, ne mortem formidemus, qua omnes vitæ præsentis miseriæ præciduntur.

¶ De muliere virum morientem flente, & patre eam consolante. 14

MVLIEREM *adhuc iuuenem, cuius vir animam agebat, parens consolabatur, dicens: Ne te afflictes, ne tantopere lugeas filia. Alium enim virum tibi inueni isto longè formosiorem, qui prioris desiderium facilè mitigabit. At mulier doloris impatiens, vt quæ maritum ardenti amore prosequebatur, non modò verba parentis non admittebat, sed intempestiuã alterius mariti mentionem accusabat. At vbi maritum defunctum videt, inter lacrymas & luctus parentẽ interrogat, an adsit iuuenis ille, quem sibi in virum dare velle se dixerat.*

Fabula indicat, quàm citò defunctorum maritorum amor ex

ex vxorum animo excidere soleat.

¶ De muliere amatoris discessum flente. 15

MVLIER *impudica amatorem suũ abeuntem, quem omnibus ferè rebus spoliauerat, multis lacrymis prosequebatur. Interrogante autem eam vicina, cur ita inconsolabiliter fleret: Non discessum eius, sed pallium quod ei reliqui fleo, inquit.*

Hæc fabula indicat, non amatores, sed eorum bona à meretricibus amari.

¶ De musca quæ quadrigæ insidens, puluerem se excitasse dicebat. 16

QVADRIGÆ *in stadio currebãt, quibus musca insidebat. Maximo autem puluere tum equorum pedum pulsu, tum rotarum volutatione exorto, dicebat musca: Quàm magnam vim pulueris excitaui?*

Hæc fabella ad eos spectat, qui cùm ignaui sint, alienam tamen gloriam, suis magnificis verbis in se transferre conantur.

¶ De anguilla conquerente quòd magis quàm serpens infestaretur. 17

ANGVILLA *interrogabat serpentem, quare cùm similes essent atque cognati, homines tamen se potius, quã illum insequerentur. Cui serpens: Quia rarus, inquit, me lædit impunè.*

Fabula indicat, minus lædi solere, qui sese vlciscuntur.

¶ De asino, simia, & talpa. 18

CONQVERENTI *asino, quòd cornibus careret, simiæ verò quòd cauda deesset: Tacete, inquit talpa, cùm me oculis captam esse videatis.*

Hæc fabula ad eos pertinet, qui nõ sunt sua sorte cõtenti, qui si aliorũ infortunia considerarẽt, æquiori animo tolerarẽt sua.

¶ De nautis sanctorũ auxiliũ implorantib. 19

NAVTA *quidam in mari subita & atra tempestate deprehensus, cæteris eius socijs diuersorum sanctorum auxilium*

xilium implorantibus: Nescitis, inquit, quid petatis. Antè enim quàm sancti isti ad Deum, pro nostra liberatione se conferant, hac imminente procella obruemur. Ad Deũ igitur confugiendũ censeo, qui absq; alterius adminiculo, à tantis malis nos poterit liberare. Inuocato igitur Dei omnipotentis auxilio ilicò procella cessauit.

Fabula indicat, vbi potentioris auxilium haberi potest, ad imbecilliores non fugiendum.

¶ De piscibus è sartagine in prunas desilientibus. 20

PISCES *adhuc viui in sartagine feruenti oleo coquebãtur: quorũ vnus: Fugiamus hinc fratres, inquit, ne pereamus. Tunc omnes pariter è sartagine exilientes, in ardenteis prunas deciderunt. Maiori igitur dolore affecti, damnabant consilium, quod ceperant, dicentes: Quanto atrociori nunc morte perimus?*

Hæc nos admonet fabula, vt ita præsentia vitemus pericula, ne incidamus in grauiora.

¶ De quadrupedibus societatem aduersus aues cum piscibus ineuntibus. 21

QVADRVPEDES *cùm bellum sibi ab auibus esset indictum, cum piscibus fœdus inierunt, vt eorum auxilio, se ab auium furore tuerẽtur. Cùm autem optata expectarent auxilia, pisces negant per terram ad eos accedere posse.*

Hæc nos admonet fabula, ne eos nobis socios faciamus, qui cùm opus sit, nobis adesse non possint.

¶ De legato auaro tubicines decipiente 22

QVIDAM *auarus pro patria legatus, in aliam vrbem profectus erat, cui tubicines prastò affuerunt, vt illius aures tubarum clangore, loculos autem suos pecunia implerent. Quibus ille renuntiari iubet, non esse nunc locũ can-*

cantibus, se in summo luctu & mœrore constitutũ, matrem enim suam obijsse. Tubicines autem spe frustati, et mœsti abeunt. Amicus quidam legati audiens luctum, ad eum visendum, consolandumq́ accedit, interrogatq́, quamdudum mater eius obijsset. Quadraginta iam anni sunt, inquit. Tunc amicus intellecta legati stropha, in risum effusus est.

Hęc fabula ad auaros facit, qui omni arte student conseruare pecuniam.

¶ De viro, qui ad cardinalem nuper creatum gratulandi gratia accessit. 23

VIR *quidam facetus admodum & vrbanus, audiens amicum suum ad Cardinalium, quos vocãt, dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accessit: qui honore tumidus, amicum veterem agnoscere dissimulans, quisnam esset interrogabat. Cui ille, vt erat ad iocos promptus: Miseresco, inquit, tibi, cæterisq́ue qui ad huiusmodi honores perueniunt. Quàm primùm enim dignitates huiusmodi estis assecuti, visum auditumq́, & cæteros sensus ita amittitis, vt pristinos amicos amplius non cognoscatis.*

Hæc fabula eos notat, qui in altum sublati, veteres despiciũt amicitias.

¶ De iuuene senis curuitatem ridente. 24

IVVENIS *quidam cõspicatus senem in arcus tensi similitudinem curuum, interrogauit an sibi arcum vellet vendere. Cui ille: Et quid, inquit, est tibi opus pecuniã amittere? Si enim ad meam perueneris ætatem, absque pecunia arcum tibi natura concedet.*

Hæc fabula indicat, minimè irridenda vitia senilis ætatis, quam nemo viuendo effugere potest.

¶ De sene puellam in vxorem accipiente. 25

Vir

VIR *quidam imprudens exacto septuagesimo vitæ anno puellā duxerat in vxorem, qui ad id tempus in cœlibatu permansisset. Cui cùm debitū soluere non posset, dicere solebat: Quàm malè vitā meam disposui. Iuueni enim mihi vxor deerat, nunc autem senex desum vxori.*

Hęc fabula innuit, omnia ſuo tempore peragenda.

¶ De aquila, & pica. 26

PICA *aquilam rogabat, vt se inter suos familiares & domesticos acciperet, quando id mereretur cùm corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda linguæ volubilitate. Cui aquila: Hoc facerē, respōdit, ni vererer, ne quæ intra tegulā fiūt tua loquacitate cuncta efferres.*

Hæc fabula monet, linguaces & garrulos domi nō habēdos.

¶ De turdo amicitiam cum hirundine ineunte. 27

GLORIABATVR *turdus se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater: Stultus es fili, inquit, si credis cum ea posse conuiuere, cum vterque vestrum diuersa soleat appetere loca. Tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis.*

Hac monemur fabula, ne eos nobis faciamus amicos, quorum vita à noſtra diſſentit.

¶ De ruſtico, & mure. 28

RVSTICVS *quidam erat admodū pauper, sed adeò facetus, vt ne calamitatis quidem tempore, natiui lepôris obliuisceretur. Is cùm villam suam, casu igne iniecto, ita ardentem videret, vt aliquo modo ignem extinguere posse diffideret, mœstus spectabat incēdium. Interim cernit murem quendam, qui villa egressus, periculum quàm ocyssimè fugiebat. Oblitus damnorum rusticus cucurrit, & murem corripiens, illum in medium iecit incendium, dicens: Ingratum animal, tempore felicitatis me-*

tis mecum habitasti, nunc quia fortuna mutata est, villam meam deseruisti.

Fabula indicat, eos non esse veros amicos, qui arridente fortuna à latere tuo non discedunt, turbata autem, præcipiti abeũt cursu.

¶ De diuite quodam, & seruo. 30

VIR *erat diues, seruum habens tardi ingenij, quem regem stultorum solebat nuncupare. Ille his verbis sæpius irritatus, statuit hero par referre. Semel enim in herum conuersus: Vtinam, inquit, rex stultorum essem, in toto enim terrarum orbe, nullum meo latius esset imperium, & tu quoque meo subesses imperio.*

Fabula indicat omnia plena esse stultorum.

¶ De canibus vrbanis villaticum insequentibus. 32

CANES *complures vrbani quendam villaticum præcipiti insequebantur cursu, quandiu ille fugit, nec repugnare ausus est. At vbi in sequentes conuersus substitit, & dentes ipse quoque ostendere cœpit, omnes pariter substiterunt, nec aliquis vrbanorum illi propinquare audebat. Tũc imperator exercitus, qui ibi aderat, ad suos conuersus milites: Commilitones, inquit, hoc spectaculum nos admonet, ne fugiamus, cũ præsentiora fugientibus, quàm repugnãtib. videamus imminere pericula.*

¶ De anu dæmonem accusante. 33

VOLVNT *homines vt plurimum, quando sua culpa aliquid sibi acciderit aduersi, in fortunam vel in dæmonem culpam conferre, vt se crimine exuant, adeò omnes sibi indulgent. Hoc dæmon ægrè ferẽs, cùm videret anũ quandam arborem ascendentem, ex qua illam ruiturã, & in se culpam collaturam præuiderat, accitis testibus dixit: Videte anum illam absque meo consilio arborem ascen-*

ascendentem, vnde eam casuram esse prospicio. Estote mihi testes, me ei non suasisse, vt soleata illuc ascenderet. Mox anus cecidit: & cùm interrogaretur cur soleata arborem ascendisset: Dæmon, inquit, me impulit. Tũc dæmon adductis testibus, probauit id ab anu absque suo factum esse consilio.

Fabula indicat, homines minimè venia dignos, qui cùm liberè peccent, fortunam vel dæmonem accusant.

¶ De testudine, & ranis. 34

TESTVDO *conspicata ranas, quæ eodem stagno pascebantur, adeò leues, agilesque, vt facilè quolibet prosilirent, & longissimè saltarent, naturam accusabat, quòd se tardum animal, & maximo impeditum onere, procreasset, vt neque facilè se mouere posset, & magna assiduè mole premeretur. At vbi vidit ranas anguillarũ escã fieri, & cuiuscunq; vel leuissimo ictui obnoxias, aliquantulum recreata dicebat: Quantò melius est onus, quo ad omnes ictus munita sum, ferre, quàm tot mortis subire discrimina.*

Hæc fabula indicat, ne ægrè feramus dona naturę, quæ maiori nobis commodo sæpe sunt, quàm nos intelligere valeamus.

¶ De gliribus quercum eruere volentibus. 35

GLIRES *quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinauerant, quò paratiorem haberent cibum ne victus gratia toties ascendere & descendere cogerentur. Sed quidam ex eis, qui ætate, & vsu rerum ac prudentia cæteros longè anteibat, eos absterruit, dicens: Si nutricem nostrã nunc interficiemus, quis futuris annis nobis, ac posteris nostris alimenta præbebit?*

Fabula hæc monet, virum prudentẽ debere non modò præsentia intueri, verum etiam futura longè prospicere.

¶ De cane, & hero. 36

CANEM *quidam habens, quò magis ab illo diligeretur, semper eum suis pascebat manibus, ligatumq́ue soluebat. Ligari autem, & verberari iubebat à seruo, vt beneficia à se, maleficia autem à seruo in illum viderentur esse collata. Aegrè autem ferens canis se aßiduè ligari, verberariq́ue aufugit. Et cùm increparetur à domino vt ingratus, & tantorum beneficiorũ immemor, qui se fugisset, à quo semper dilectus pastusq́ue fuisset, ligatus autem verberatusq́, nunquam, respondit: Quod seruus tuo iussu facit, à te factum puto.*

Hæc fabula indicat, eos malefactores habendos, qui maleficiorum causa fuêre.

¶ De auibus scarabeos timentibus. 37

MAGNVS *timor aues incesserat ne Scarabei arcu pilari eas occiderent, à quibus magnam pilarũ vim in sterquilinio summo labore fabricatam audierunt. tunc passer, Nolite, inquit pauescere. Quomodo enim pilas in nos per aëra volantes iacere poterunt, cùm eas per terrã magno molimine vix trahant?*

Hæc fabula admonet, ne hostium opes extimescamus, quibus deesse videmus ingenium.

¶ De vrso, & apibus. 38

VRSVS *ictus ab ape, tãta ira percitus est, vt aluearia in quibus apes mellificauerant, tota vnguibus discerperet. Tunc apes vniuersæ, cũ domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari viderẽt, facto impetu aculeis vrsũ inuadẽtes penè necauêre. Qui ex earũ manibus vix elapsus, secũ dicebat: Quãtò melius erat apis vnius aculeũ tolerare, quã tot in me hostes mea iracundia concitare?*

Hæc fabula innuit longè melius interdum esse iniuriã vnius sustinere, quàm dum vnũ punire volumus, multos nobis inimicos comparare.

De au-

¶ De aucupe, & fringilla. 39

AVCEPS *tetenderat volucribus retia, largamque illis in area effuderat escam, pascentes tamen aues non capiebat, quia sibi videbantur paucæ. Quibus pastis ac auolantibus, aliæ pastum aduenĩũt, quas quoque propter paucitatem capere neglexit. Hoc per totum diem ordine seruato, ac alijs aduenientibus, alijs abeuntibus, illo semper maiorem prædam expectante, tãdem aduesperascere cœpit. Tunc auceps amissa spe multas capiendi, cùm iam tempus esset quiescendi, attrahens retia, vnam tantùm fringillam, quæ infelix in area remanserat, cepit.*

Hæc fabula indicat, qui omnia comprehendere volunt, sæpè pauca vix capere posse.

¶ De duobus equis. 40

MILES *equũ habens optimũ, emit aliũ nequaquã illi bonitate parẽ, quẽ multò diligentius, quàm priorem nutricabat: tũc priori sic ait, cur me dominus quàm te impẽsiùs curat, cũ tibi neq; pulchritudine, neq; robore, neq; velocitate cõparandus sim? Cui ille: Est hæc, inqt, hominũ natura, vt semp in nouos hospites benigniores sint.*

Hæc fabula indicat, hominũ amicitiã, qui noua, etiamsi deteriora sint, solent veteribus anteponere.

¶ De sue, & cane. 41

SVS *irridebat canem odorisequũ, qui domino murmure, & cauda adularetur, à quo ad artem aucupatoriam multis verberibus, auriũque vellicationibus fuerat instructus. Cui canis: Nescis, inquit, insane, nescis quæ ex verberibus illis sim consecutus. Per ea enim suauissimis perdicum, coturnicumque carnibus vescor.*

Hæc fabula nos monet, ne iniquo feramus animo præceptorum verbera, quæ multorum bonorum causa esse consueuêre.

¶ De trabe boum pigritiam increpante 42

TRABS, *quæ curru vehebatur, boues vt lentulos increpauit dicens: Currite pigri, onus enim leue portatis. Cui boues, Irrides nos, responderunt: ignara quæ te pœna maneat. Onus hoc nos citò deponemus: tuũ autem tu quoad rũparis, sustinere cogêris. Indoluit trabs, nec amplius boues conuicijs lacessere ausa est.*

Hæc fabula quemlibet monet, ne aliorum insultet calamitatibus, cùm ipse possit maioribus subiacere.

¶ De carduele, & puero. 43

CARDVELIS *auis interrogata à puero, à quo in delicijs habita, & suauibus & largis cibis nutrita fuerat, cur cauea egressa regredi nollet: Vt meo, inquit, me arbitratu, non tuo, pascere possim.*

Hæc fab. indicat, vitæ libertatẽ, cunctis delicijs anteponẽdã.

¶ De scurra, & Episcopo. 44

SCVRRA *quidam Calendis Ianuarij ad episcopum quẽdam diuitem quidem, sed auarũ accedens, numisma aureum strenæ nomine petijt. Antistes insanire hominem dicit, qui crederet tantam pecuniam sibi in strenã dari. Tunc scurra nummum argenteum efflagitare cœpit. Sed cùm ille hoc quoque nimium sibi videri diceret, æreum quadrantem, vt saltem sibi traderet, orabat. Sed cùm ne hunc quoque posset ab episcopo extorquere: Reuerende, inquit, pater, saltem benedictione tua me pro strena imperti. Tunc episcopus: Flecte, inquit, genua, fili, vt te benedicam. At ego, inquit scurra, benedictionẽ istam tuam tam vilem nolo. Si enim nummum æreum valeret, eam mihi nunquam profectò concederes.*

Hæc fabula contra eos episcopos & sacerdotes conficta est, qui diuitias, & opes pluris faciunt, quàm cuncta ecclesiæ sacra atque mysteria.

¶ De vpupa indignè honorata. 45

Inui-

INVITATAE *ferè omnes aues ad aquilæ nuptias, indignè ferebant Vpupam cæteris præferri, quia corona insignis esset, & versicoloribus pennis ornata, cùm semper inter stercora & sordes solita esset volutari.*

Hæc fabula stultitiam eorum arguit, qui in hominibus honorandis potius vestitum, nitorem, præstantiãque formæ, quã virtutes moresque soleant attendere.

¶ De Sacerdote, & pyris. 46

SACERDOS *quidam gulosus extra patriam ad nuptias proficiscens, ad quas fuerat inuitatus, reperit in itinere pyrorum aceruum, quorum ne vnum quidem attigit, quamuis magna affectus fame: quin potius ea ludibrio habens, lotio conspersit. Indignabatur enim huiusmodi cibos sibi in itinere offerri, qui ad lautas accederet epulas. Sed quũ in itinere torrentem quendam ita imbribus auctum offendisset, vt sine vitæ periculo eum transire non posset, domum redire constituit. Reuertens autem ieiunus, tanta est oppressus fame, vt nisi pyra illa, quæ vrina consperserat, comesset, quum aliud non inueniret, extingueretur.*

Hæc fabula monet, nihil esse contemnendum, quum nihil sit tam vile & abiectum, quod aliquando vsui esse non posit.

¶ De mulo, & equo. 47

MVLVS *conspiciens equum, aureo fræno ephippioque insignem, & purpureis opertum phaleris, rumpebatur inuidia, illum beatũ reputãs, qui cõtinuè optimis vesceretur cibis, & decoro amiciretur ornatu: se autem præ illo infelicem, qui clitellis malè dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At vbi videt equũ à pugna redeuntem multis affectum vulneribus, præ illius calamitate se felicem appellabat, longè melius esse dicens, quotidiano labore durum victum quæritare, &*

turpiter vestiri, quàm post optimos & delicatos cibos, et tantos ornatus, mortis adire discrimina.

Hæc fabula monet, regibus & principibus minimè inuidendum, quia diuitijs & opibus abundent, vt quum vitam eorum lõgè pluribus periculis, quàm pauperũ videamus esse subiectã.

¶ De porco, & equo. 48

PORCVS *conspiciens equũ bellatorem, qui cataphractus ad pugnam prodibat: Stultè, inquit, quò properas? In pugna enim fortasse morieris. Cui equus: At tibi inter lutum sordesq; impinguato, quamuis nihil dignũ laude gesseris, cultellus adimet vitam: mortem verò meam comitabitur gloria.*

Hec fabula innuit, honestius esse rebus præclarè gestis occumbere, quàm vitam turpiter actam protrahere.

¶ De coriario emente pellem vrsi à venatore nondum capti. 49

CORIARIVS *ad venatorem accedens, emit ab eo pellem vrsi, pecuniamq; pro ea protulit. Ille sibi in præsentia pellem vrsi non esse, cæterùm postridie venatum profecturum, vrsoque interfecto, pellem illius ei se daturum pollicetur. Coriarius animi gratia cum venatore in syluam profectus, altissimam arborem ascendit, vt inde vrsi venatorisque certamen prospiceret. Venator intrepidus ad antrum, vbi vrsus latebat, profectus, immissis canibus illum exire cõpulit: qui euitato venatoris ictu, eum prostrauit humi. Tunc venator sciens hanc feram in cadauera non sæuire, anhelitu retento, se mortuum simulabat. Vrsus naribus admotis olfaciens, quum illum nec naso, nec corde spirantem deprehenderet, abscessit. Coriarius quum feram abesse prospiceret, ac nihil amplius adesse pericli, ex arbore se deducens, & ad venatorem, qui nondum surgere audebat, accedens, illum vt*

surge-

surgeret monebat. Interrogauit deinde, quid ad aurem ei vrsus locutus esset. Cui venator: Monuit me, inquit, ne deinceps vrsi pellem vendere velim, nisi eum prius ceperim.

Hæc fabula indicat, incerta pro certis non habenda.

¶ De eremita, & milite. 50

EREMITA *quidam vir sanctissimæ vitæ militem hortabatur, vt relicta seculi militia, quam absque Dei offensa, & animæ discrimine pauci exercent, tandem se corporis traderet quieti, & animæ consuleret saluti. Cui miles: Faciam, inquit, quod mones pater. Verum enim est, quòd hoc tempore milites, neque stipendia exigere valeant, licet exigua sint, neque prædari poßint.*

Fabula significat, multos vitijs renuntiare, quia illa amplius exercere non possunt.

¶ De viro, & vxore bigamis. 51

VIR *quidam defuncta vxore, quam valde dilexerat, duxit alteram, & ipsam viduam, quæ aßiduè ei prioris mariti virtutes, fortiaq; facinora obijciebat. Cui vt par referret, ipse quoque defunctæ vxoris mores probatißimos pudicitiamq; insignem referebat. Quadam autem die viro irata, pauperi eleemosynam petenti, partem caponis, quem in cœnam vtrisque coxerat, dedit dicẽs: Do tibi pro anima prioris viri. Quod audiens maritus, accersito paupere reliquum caponis dedit dicens: Et ego quoque tibi hoc pro anima vxoris meæ defunctæ. Sic illi dum alter alteri nocere cupiunt, quid cœnarent tandem non habuerunt.*

Hæc fabula monet, non esse contra eos pugnandum qui se poßint optimè vindicare.

¶ De leone, & mure. 52

LEO *laqueo captus in sylua, cùm se ita irretitum videret,*

ret, vt nullis viribus se inde posse explicare consideret, murem rogauit, vt abroso laqueo eum liberaret, promittens tanti beneficij se nõ immemorem futurũ. Quod cũ mus prõptè fecisset, leonem rogauit, vt filiã eius sibi traderet in vxorẽ. Nec abnuit leo, vt benefactori suo rem gratã faceret. Noua autem nupta ad virum veniẽs, cùm eũ non videret, casu illum pede pressit, atque contriuit.

Hæc indicat fabula, matrimonialia, & cætera consortia improbanda, quæ ab imparibus contrahuntur.

¶ De vlmo, & silere. 53

VLMVS *in ripa fluminis nata, siler sibi proximum irridebat, vt debile & inualidum, quòd ad omnem vel leuissimum vndarum impetũ flecteretur: suam autem firmitatem & robur magnificis extollebat verbis, quòd multos annos assiduos amnis impetus, inconcussa pertulerat. Semel autem maxima vndarum violentia, vlmus perfracta trahebatur ab aquis. Cui siler ridens inquit: Cur me deseris vicina? vbi est nunc fortitudo tua?*

Fabula significat, sapientiores esse, qui potentioribus se cedunt, quàm qui resistere volentes, turpiter superantur.

¶ De cera duritiem appetente. 54

CERA *ingemiscebat se mollem, & cuicũque leuissimo ictui penetrabilem procreatam. Vidẽs autem lateres ex luto multo se molliori factos, in tãtam duritiem ignis calore peruenisse, vt multa perdurarent secula, se iecit in ignem, vt eandem duritiem consequeretur. Sed statim igne liquefacta, consumpta est.*

Hac admonemur fabula, ne appetamus, quod est natura denegatum.

¶ De agricola militiam & mercaturam affectante. 55

AGRICOLA *quidam ægrè ferebat se assiduè terram*

voluere

voluere, nec perpetuis laboribus ad magnas diuitias peruenire, cùm nonnullos videret milites, qui actis prælijs ita rem auxerant, vt bene induti incederent, & lautis epulis nutriti beatam agerent vitam. Venditis igitur ouibus, capris ac bobus, equos emit & arma, & in militiam profectus est: vbi cùm ab imperatore suo malè pugnatum esset, non solùm quæ habebat perdidit, sed etiam pluribus vulneribus affectus est. Quare damnata militia, mercaturam exercere statuit, vt vbi maius lucrum, & minorem laborem existimabat. Prædijs igitur venditis, cùm nauem mercibus impleuisset, nauigare cœperat, sed cùm in alto esset, tempestate subitò coorta, nauis submersa est, & ipse cum cæteris, qui in ea erant, ad vnum omnes periêre.

Hęc fabula monet, quemlibet debere sua arte esse contentũ, cùm vbique sit parata miseria.

¶ De asino, & scurra. 56

A S I N V S *indignè ferens scurram quendam honorari, & pulchris vestibus amiciri, quia magnos ventris edebat sonos, ad magistratus accessit, petẽs ne se minus quã scurram honorari vellent: & cùm magistratus admirantes eum interrogarent, cur se ita honore dignum duceret, inquit: Quia maiores, quàm scurra, crepitus ventris emitto, eosq́ue absque fœtore.*

Hæc fabula eos arguit, qui in rebus leuissimis, suas pecunias profundunt.

¶ De amne suum fontem couicijs lacessente. 57

A M N I S *quidam suum conuicijs fontem lacessebat vt inertem, quòd immobilis staret, nec vllos haberet pisces, se autem plurimùm commendabat, quòd optimos crearet pisces, & per valles blando murmure serperet.*

Indignatus fons in amnẽ, velut ingratũ, vndas repreßit
Tũc amnis et piscibus et dulci sono priuatus, euanuit.

Hæc fabula eos notat, qui bona quæ agũt, sibi arrogant, non Deo attribuũt, à quo largo fonte nostra bona procedunt.

¶ De viro maligno, & dæmone. 58

VIR *malignus quum plurima perpetrasset scelera, & sæpius captus, & carcere conclusus, arctißima & peruigili custodia teneretur, dæmonis auxilium implorabat, qui sæpenumero illi affuit, & è multis eum periculis liberauit. Tandem iterum deprehenso & solitum auxilium imploranti, dæmon magnum calceorum pertusorum fascem super humeros habens, apparuit dicens: Amice, amplius tibi auxilio esse non possum, tot enim loca pro te liberando hactenus peragraui, vt hos omnes calceos cõtriuerim. Nulla mihi superest pecunia, qua alios valeam comparare. Quare pereundum est tibi.*

Hæc admonet fabula, ne existimemus nostra semper impunita fore peccata.

¶ De auibus plures reges eligere volentibus. 59

AVES *consultabant de pluribus regibus eligendis, cùm aquila tantos volucrum greges sola regere non posset: fecissentque voto satis, nisi cornicis monitu, à tali consilio destitißent, quæ cùm causam rogaretur, cur non plures reges duceret eligendos: Quia difficilius, inquit, plures, quàm vnus saccus, implentur.*

Hæc fabula docet, longè melius ab vno, quàm à multis principibus gubernari.

¶ De muliere, quæ pro viro se mori velle dicebat. 60

MATRONA *quædam admodum pudica, & viri amantißima, ægrè ferebat maritum aduersa valetudine deti-*

detineri. Lamentabatur, ingemiſcebat, & vt ſuum in virum amorem teſtaretur, rogabat mortem, vt ſi maritum ſibi eſſet ereptura, ſe potius quàm illum vellet occidere. Inter hæc verba mortem cernit horribili aſpectu venientem, cuius timore perterrita, & iam ſui voti pœnitens: Non ſum ego, inquit, quem petis, iacet ibi in lecto, quem occiſura veniſti.

Hæc fabula indicat, neminem eſſe adeò amantem amici, qui non malit ſibi bene eſſe quàm alteri.

¶ De adoleſcente in funere matris canente. 61

V I R *quidam defunctã vxorem, quæ ad ſepulcrũ efferebatur, lacrymis & fletibus proſequebatur, Filius verò eius canebat: qui cùm à patre increparetur, vt amẽs & inſanus, qui in matris funere cantaret, cùm vnà ſecum mœſtus eſſe & flere deberet, inquit: Pater mi, ſi ſacerdotes vt canerent conduxiſti, cur mihi iraſceris gratis concinenti? Cui pater, Non tuum, inquit, & ſacerdotum eſt idem officium.*

Fabula indicat, non omnia omnibus eſſe decora.

¶ De viro zelotypo, qui vxorem dederat cuſtodiendam. 62

V I R *Zelotypus, vxorem, quam parùm pudicè viuere compererat, cuidam amico, cui plurimum fidebat, dederat cuſtodiendam, ingentem pollicitus pecuniã, ſi eam ita diligenter obſeruaret, vt nullo modo coniugalem violaret copulam. At ille vbi aliquot dies expertus cuſtodiam hanc nimis difficilem, & ingenium ſuũ verſutia mulieris vinci comperiſſet, ad maritum accedens dixit, ſe amplius nolle hanc tam duram gerere prouinciam, quandoquidem ne Argus quidem, qui totus oculeus*

leus fuit, mulierem inuitam posset custodire. Addidit praeterea, si necesse sit, malle se anno integro saccum plenum pulicibus quotidie in pratum deferre, solutoq́ sacco eos inter herbas pascere, vespereq́ facto omnes domum reducere, quàm vna die impudicā mulierem seruare.

Hæc fabula indicat, nullos custodes esse ita diligentes, qui impudicas mulieres valeant custodire.

¶ De viro clysteria recusante. 63

VIR *quidam natione Germanus, diues admodum, ægrotabat, ad quem curandum plures accesserant medici (ad mel enim cateruatim conuolant muscæ) quorum vnus inter cætera dicebat opus esse clysteribus, si vellet conualescere. Quod cùm vir huiusmodi insuetus medicinæ audiret, furore percitus, medicos domo eÿci iubet, dicens, eos esse insanos, qui cùm caput sibi doleret, podici vellent mederi.*

Hæc fabula innuit, etiam salutaria insuetis & inexpertis, aspera & obfutura videri.

¶ De asino ægrotante, & lupis visitantib. 64

ASINVS *ægrotabat, famaq́ue exierat, eum citò moriturum, ad eum igitur visendum cū lupi canesq́ venissent, peterentq́ à filio, quomodo pater eius haberet, ille per ostÿ rimulam respondit: Melius quàm velletis.*

Hæc indicat fabula, quòd multi fingunt molestè ferre mortem aliorum, quos tamen cupiunt celeriter interire.

¶ Quod nuci, asino, & mulieri ꝓsunt verbera. 65

MVLIER *quædam interrogabat nucem secus viam natam, quæ à prætereunte populo saxis impetebatur, quare esset ita amens, vt quò pluribus maioribusq́ verberibus cæderetur, eò plures, præstantioresq́ue fructus procrearet. Cui iuglans: Es'ne, inquit prouerbÿ immemor, ita dicentis:*

Nux

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati,
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent?

Hæc fabula innuit, sæpe homines proprijs iaculis se solere confodere.

¶ De asino laborum finem non inueniente. 66

ASINVS *hyberno tempore plurimũ angebatur, quòd nimio afficeretur frigore, & durum palearum haberet victum. Quare vernam temperiem, & teneras herbas optabat. Sed cùm ver aduenisset, cogereturque à domino, qui figulus erat, argillam in aream & in fornacem, indeque lateres, imbrices, tegulas, ad diuersa loca deferre: pertæsus veris, in quo tot labores tolerabat, æstatẽ omnibus votis expetebat, vt dominus messe impeditus eum quiescere pateretur. Sed tunc quoque cùm messes in aream, & inde domum triticum ferre compelleretur, nec quieti locus sibi esset, autumnum saltem laborum finem fore sperabat. Sed vbi ne tunc quoque malorũ terminum adesse cernebat, cùm quotidie vinum, poma, ligna portanda essent, rursus hyemis niues & glaciem efflagitabat, vt tunc saltem aliqua sibi requies à tantis laboribus concederetur.*

Hæc fabula indicat, nulla esse præsentis vitę tempora, quę nõ perpetuis sint subiecta laboribus.

¶ De mure, qui cum fele amicitiam contrahere volebat. 67

MVRES *complures in cauo parietis commorantes, contemplabantur felem, quæ in tabulato capite demisso, & tristi vultu recumbebat. Tunc vnus ex eis: Hoc animal, inquit, benignũ admodum & mite videtur. Vultu enim ipso sanctimoniam quandam præfert. Volo ipsum alloqui, & cum eo indissolubilem nectere amicitiam. Quæ cùm*

cùm dixiſſet, & propius acceſſiſſet, à fele captus & dilaceratus eſt. Tunc cæteri hæc videntes ſecum dicebant: Non eſt profectò, non eſt vultui temerè credendum.

Hęc fabula innuit, non ex vultu, ſed ex operibus homines iudicandos, cùm ſub ouili pelle, ſæpe atroces lupi deliteſcant.

¶ De aſino, qui hero ingrato ſeruierat. 68

ASINVS, *qui viro cuidam ingrato multos annos inoffenſo pede ſeruierat, ſemel, vt fit, dum ſarcina preſſus, graui & ſalebroſa incedit via, ſub onere ceciderat. Tūc dominus implacabilis multis verberibus ſurgere compellebat, pigrum animal & ignauum nuncupans. At ille miſer inter verbera hæc ſecum dicebat: Infelix ego quàm ingratū ſortitus ſum herum. Nam quāuis ei multo tempore ſine offenſa ſeruierim, tamen non hoc vnum delictum tot meis priſtinis beneficÿs compenſat.*

Hæc fabula in eos conficta eſt, qui beneficiorum ſibi collatorum immemores, etiam minimam benefactoris ſui in ſe offenſam, atroci pœna proſequuntur.

¶ De lupo ſuadente hyſtrici vt tela deponeret. 69

LVPVS *eſuriens in hyſtricem intenderat animum, quem tamen, quia ſagittis vndique munitus erat, inuadere non audebat. Excogitata autem eū perdendi aſtutia, illi ſuadere cœpit, ne pauco tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem ne alÿ quidem ſagittarÿ, niſi cum prælÿ tempus inſtaret, portarent. Cui hyſtrix: Aduerſus lupum, inquit, ſemper præliandi tempus eſſe credendum eſt.*

Hæc fabula innuit, virum ſapientem oportere aduerſus inimicorum & hoſtium fraudes ſemper eſſe munitum.

¶ De mure liberante miluum. 70

MVS *conſpicatus miluum, laqueo aucupis implicitum, miſertus eſt. Qui quamuis ſibi inimica, abroſis dente vin-*

vinculis, euolandi viam fecit. Miluus tanti immemor beneficij, vbi se solutum vidit, murem nil tale suspicantem corripiens, vnguibus & rostro lacerauit.

Fabula indicat, malignos viros huiusmodi gratias suis benefactoribus solere rependere.

¶ De cochlea petente ab Ioue, vt suam domum secum ferre possit. 71

CVM *Iupiter ab exordio mundi singulis animalibus munera, quæ petissent, elargiretur: Cochlea ab eo petijt, vt domum suam posset circumferre. Interrogata à Ioue quare tale ab eo munus exposceret, quod illi graue & molestum futurum erat: Malo, inquit, tam graue onus perpetuò ferre, quàm cùm mihi libuerit, malum vicinũ non posse vitare.*

Fabula indicat, malorũ vicinitatẽ omni incõmodo fugiẽdã.

¶ De herinaceo viperam hospitem eijciente. 72

HERINACEVS *hyemem aduentare præsentiens, blandè viperã rogauit, vt in propria illius cauerna, aduersus vim frigoris locum sibi concederet. Quod cùm illa fecisset, Herinaceus huc illuc se prouoluens spinarum acumine viperã pungebat, & vehementi dolore torquebat. Illa malè secũ actum videns, quando Herinaceũ suscepit hospitio, blandis eũ verbis, vt exiret orabat, quandoquidẽ locus ambobus esset angustus. Cui Herinaceus: Exeat, inquit, qui hîc manere non potest. Quare vipera sentiens sibi locum ibi non esse, illinc cessit hospitio.*

Fabula indicat, eos in consortium non admittendos, qui nos possunt eijcere.

¶ De lepore sese vulpi præferente ob pedum velocitatem. 73

LEPVS *sese dignum reputabat, qui vulpi præferretur*

quoniã longè illam pedũ pernicitate superabat. Tũc vulpes: At ego, inquit, ingenium sum sortita præstantius, quo sæpius, quam tu pernicitate tua canes eludo.

Hæc indicat fabula, corporis velocitatem & vires, ab ingenio longè superari.

¶ De agricola, & poëta. 74

AGRICOLA *quidam ad poëtam accedens, cuius agros colebat, cùm eum inter libros solum offendisset, interrogauit eũ, quo pacto ita solus viuere posset. Cui ille: Solus, inquit, tantũ esse cœpi, postquã te huc contulisti.*

Hæc indicat fabula, eruditos viros, qui doctissimorum virorum turba continuè stipantur, tunc solos esse, cùm inter illiteratos homines fuerint.

¶ De lupo ouis pelle induto, qui gregem deuorabat. 76

LVPVS *ouis pelle indutus, ouium se immiscuit gregi, quotidieque aliquam ex eis occidebat. Quod cùm pastor animaduertisset, illum in altissima arbore suspẽdit. Interrogãtibus autem cæteris pastoribus, cur ouem suspendisset, aiebat: Pellis quidem, vt videtis, est ouis: opera autem erant lupi.*

Hæc indicat fabula, homines non ex habitu, sed ex operibus iudicandos, quoniam multi sub vestimentis ouium, lupina faciunt opera.

¶ De patre filium ad virtutes frustra hortante. 77

PATER *quidam filium vitijs deditum, multis hortabatur verbis, vt derelicta vitiorum via, virtutibus inuigilaret, quæ ei laudem & decus erant paritura. Cui filius: Frustra, inquit, pater ad hæc facienda hortaris. Multos enim prædicatores (vt aiunt) audiui, qui longè te melius ad virtutum hortabantur viam, nunquam tamen eorum admonitionibus obsecutus sum.*

Fabula indicat, viros malignæ naturæ, nullius hortatu à vitijs velle desistere.

¶ De cane oues domini sui occidente, à quo suspensus est. 78

PASTOR *quidam cani oues suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis. At ille sæpe aliquam ouem occidebat. Quod cùm pastor animaduertisset, canē capiens, eum volebat occidere. Cui canis: Quid me, inquit, perdere cupis? sum vnus ex domesticis tuis, interfice potius lupum, qui continuè tuo insidiatur ouili. Imò inquit pastor, te, quàm lupum morte dignum magis puto. Ille enim palàm se meum hostem profitetur: Tu verò amicitiæ specie, quotidie meum imminuis gregem.*

Hæc innuit fabula, longè magis puniendos, qui sub amicitiæ specie nos lædunt, quàm qui apertè se nostros inimicos profitentur.

¶ De ariete cum tauro pugnante. 79

ARIES *quidam inter lanigeros greges erat, tanta cornuum & capitis firmitate, vt cæteros arietes statim facileque superaret. Quare cùm nullum amplius arietem inueniret, qui occursanti sibi auderet obsistere, crebris elatus victorijs, taurum ausus est ad certamen prouocare. Sed primo congressu, cùm in taurinā frontem arietasset, tam atroci ictu repercussus est, vt ferè moriēs hæc diceret: Stultus ego, quid egi? cur tam potentem aduersariū ausus sum lacessere, cui me imparē creauit natura?*

Fabula indicat, cum potentioribus non esse decertandum.

¶ De vidua, & asino viridi. 80

VIDVA *quædam cœlibatum exosa, nubere cupiebat, sed non audebat, verita vulgi irrisiones, qui maledictis eas solet incessere, quæ ad secūdas transeunt nuptias. Sed commater eius, quàm contemnendæ essent populi voces,*

hac arte monstrauit: iussit enim asinum album, quem vidua habebat, viridi colore depingi: & per omneis vrbis vicos circunduci. Quod dum fieret, tanta admiratio ab initio omnes inuaserat, vt non solùm pueri, verùm etiam senes hac re insolita moti, asinum animi gratia comitarentur. Deinde cùm huiusmodi animal quotidie per vrbem duceretur, desierunt admirari. Itidem, inquit ad viduam commater, eueniet tibi. Si enim virum acceperis, per aliquot dies eris fabula vulgi. Deinde hic sermo conticescet.

Hæc fabula indicat, nullam rem esse tanta dignam admiratione, quæ diuturnitate temporis non desinat esse miraculum.

¶ De aquila filios cuniculi rapiente. 81

AQVILA *in altissima arbore nidulata, catulos cuniculi, qui longè inde pascebantur, in escam pullorũ suorũ rapuerat. Quam cuniculus blãdis orabat verbis, vt suos sibi filios restituere dignaretur. At illa eũ vt pusillũ et terrestre animal, & ad sibi nocendũ impotẽs arbitrata, eos in conspectu matris vnguibus dilacerare, & pullis suis epulandos apponere non dubitauit. Tũc cuniculus filiorũ morte cõmotus, hanc iniuriam minimè impunitã abire permisit: arborem enim, quæ nidum sustinebat, radicitus effodit. Quæ leui impulsu ventorum procidens, pullos aquilæ adhuc implumes, & inuolucres in humũ deiecit, qui à feris depasti, magnum doloris solatium cuniculo præbuerunt.*

Hæc indicat fabula, neminem potentia sua fretum imbecilliores despicere, cùm aliquando infirmiores potentiorum iniurias vlciscantur.

¶ De lupo pisce fluuij, maris regnum affectante. 82

LVPVS *piscis erat in amne quodam, qui pulchritudi-*

ne,

ne, magnitudine, ac robore, cæteros eiusdem fluminis pisces excedebat. Vnde cuncti eum admirabantur, & tanquam regem præcipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus, maiorem principatum cœpit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnauerat ingressus est mare, vt eius regnum sibi vendicaret: sed offendens delphinum miræ magnitudinis, qui in illo regnabat, ita ab illo insectatus est, vt aufugiens vix amnis ostium ingrederetur: vnde amplius non est ausus exire.

Hæc fabula nos admonet, vt rebus nostris contenti, ea non appetamus, quæ nostris viribus sunt longè maiora.

¶ De oue pastori conuiciante. 83

OVIS *conuiciabatur pastori, quòd non contentus lacte, quod in vsum suum, filiorumque ab ea mulgebat, insuper illam vellere denudaret. Tunc pastor iratus, filium eius trahebat ad mortem. Ecquid, inquit ouis, peius mihi facere potes? Vt te, inquit pastor, occîdam, et lupis canibusque proijciam deuorãdam. Siluit ouis, maiora adhuc mala formidans.*

Hæc fabula indicat, non debere homines in Deum excandescere, si diuitias, si filios ipsis permittat auferri, cum etiam maiora, & viuentibus, & mortuis possit inferre supplicia.

¶ De auriga, & rota currus strìdente. 84

AVRIGA *interrogabat currum, quare rota, quæ erat deterior, strideret, cùm cætera idem non facerent. Cui currus: Aegroti, inquit, semper morosi, & queruli esse consueuerunt.*

Hæc indicat fabula, mala solere homines ad querimoniã semper impellere.

¶ De viro amicos experiri volente. 85

VIR *quidam diues admodum & liberalis, magnam*

habebat amicorũ copiam: quos ad cœnam sæpißimè inuitabat, ad quam libentißimè accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus & periculis sibi fideles essent, omnes pariter conuocauit, dicens obortos sibi inimicos, ad quos perdendos ire statuerat. Quare correptis armis secum irent, vt illatas sibi vlciscerentur iniurias. Tunc omnes, præter duos, sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos tantùm duos in amicorum numero habuit, quos deinde singulari amore ꝓsecutus est.

Hæc indicat fabula, aduersam fortunã, amicitiæ experimentum esse quàm optimum.

¶ De vulpe carnem leporis cani laudante. 86

VVLPES *cùm fugaretur à cane, & iamiam esset capienda, nec vllam aliam euadendi viam inuenire posse se cognosceret: Quid me, inquit, ô canis, perdere cupis, cuius caro tibi vsui esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cuius carnem suauißimam mortales esse cõmemorant. Canis igitur motus consilio vulpis, omissa vulpe leporem insecutus est, què tamen ob incredibilem eius velocitatem capere non potuit. Paucis pòst diebus, lepus conueniens vulpem, vehementer eam accusabat (verba enim eius audierat) quòd se cani demonstrasset. Cui vulpes: Quid me accusas lepus, quæ te tantoperè laudaui? Quid diceres, si te vituperassem?*

Hæc indicat fabula, multos mortales sub laudationis specie alijs perniciem machinari.

¶ De lepore calliditatem, & vulpe celeritatem à Ioue petentibus. 87

LEPVS *& vulpes à Ioue petebant: hæc, vt calliditati suæ pedum celeritatem: ille, vt velocitati suæ calliditatem*

tem adiungeret. Quibus Iupiter ita respondit: Ab origine mundi è sinu liberalißimo singulis animantibus sua munera sumus elargiti. Vni autem omnia dedisse, aliorum fuisset iniuria.

Hæc innuit fabula, Deum singulis sua munera ita esse æquali lance largitum, vt quisque esse debeat sua sorte contentus.

¶ De equo inculto, sed veloci, & cæteris eum irridentibus. 88

EQVI *complures ad Circenses ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, præter vnum, quem cæteri, vt incultum, & ad huiusmodi certamen ineptum, irridebant, nec vnquam victorem futurum opinabantur. Sed vbi currendi tempus aduenit, & dato tuba signo, cuncti è carceribus exiliêre: tum demum innotuit, quantò hic paulò antè irrisus, cæteros velocitate superaret. Omnibus enim alijs post se longo interuallo relictis, palmam assecutus est.*

Fabula indicat, non ex habitu, sed ex virtute homines iudicandos.

¶ De rustico per vocem hœdi ad iurisconsultum admisso. 89

RVSTICVS *quidam graui lite implicitus ad quendam iurisconsultum accesserat, vt eo patrono sese explicaret. At ille alijs negotijs impeditus, renunciari iubet se non posse nunc illi vacare: quare abiret aliâs rediturus. Rusticus qui huic, vt veteri fidoque amico, plurimum fidebat, sæpius rediens nunquam admissus est. Tandem hœdum adhuc lactantem & pinguem secum deferens, ante ædes iurisperiti stabat, & hœdum vellicans illum balare cogebat. Ianitor, qui ex præcepto heri dona portantes statim admittere solebat, audita hœdi voce, ianuam ilicò aperiens, hominem introire iubet.*

Tunc rusticus ad hœdum conuersus: Gratias, inquit, ago tibi hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

Fabula indicat, nullas res tam duras difficilesque esse, quas munera non aperiant.

¶ De adoleſcente ex coitu infirmo, & lupo. 90

ADOLESCENS *quidam vxorem duxerat, & ipsam quoque adoleſcentulam, formoſam admodum & libidinoſam, cuius effrenæ libidini dum ſatisfacere cupit, ita lumbos exhauſit, vt paucis diebus macilentus fieret, & mortuo magis, quàm viuo ſimilis videretur: non ingredi, non ſtare, non aliquod opus facere poterat: vt ſenex quidam apricatione gaudebat. Dum ergo in aprico ſtãs loco, calore Solis ſeſe calefaceret, accidit vt venatores, qui lupum fuerant inſectati, illac iter haberent. Quos cùm adoleſcens interrogaret, cur lupum non ceperant: Ob incredibilẽ, inquiunt, illius velocitatẽ illum aſſequi non potuimus. Tunc ait adoleſcens: Vxorem profectò hic lupus habere non debet, ſi enim vxori iunctus eſſet, nunquam tanta pedum pernicitate polleret.*

Hæc indicat fabula, neminem eſſe adeò robuſtum & fortẽ, quem nimius Veneris vſus non infirmum & debilem reddat.

¶ De ſene iuuenem poma ſibi ſurripientem ſaxis deijciente. 91

SENEX *quidam iuuenem ſibi poma ſurripiẽtem blandis orabat verbis, vt ex arbore deſcenderet, nec res ſuas vellet auferre. Sed cùm incaſſum verba funderet, iuuene eius ætatem & verba contemnente: Non in verbis tantùm, inquit, verumetiam in herbis audio eſſe virtutem. Herbas igitur vellere, & in illum iacere cœpit. Quod iuuenis conſpicatus, in vehementem riſum effuſus eſt,*

ſus eſt, & ſenem delirare arbitrabatur, qui crederet eũ ex arbore herbis poſſe depellere. Tunc ſenex omnia experiri cupiens: Quando, inquit, verborum & herbarũ vires aduerſus raptorem mearum rerum nullæ ſunt, lapidibus agam, in quibus quoque dicunt eſſe virtutem, lapideſque quibus gremium impleuerat, in iuuenem iaciens, illum deſcendere & abire coëgit.

Hæc fabula indicat, omnia prius ſapienti tentãda, quàm ad armorum confugiatur auxilium.

¶ De luſcinia cantum accipitri pro vita pollicente. 92

LVSCINIA *ab accipitre famelico comprehenſa, quũ ſe ab eo deuorandam intelligeret, blandè eum rogabat, vt ſe dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedemſ ſeſe relaturam. Cùm autem accipiter eam interrogaret quid gratiæ ſibi referre poſſet: Aures, inquit, tuas mellifluis cãtibus demulcebo. At ego, inquit accipiter, malo mihi ventrem demulceas: ſine tuis enim cantibus viuere, ſine cibo verò non poſſum.*

Hæc fabula innuit, vtilia iucundis anteponenda.

¶ De leone porcum ſibi ſocium eligente. 93

LEO *cùm ſocios aſciſcere ſibi vellet, multaque animalia ſeſe illi adiungere optarent, idque precibus & votis expoſcerent, cæteris ſpretis, cum porco ſolùm ſocietatem voluit inire: rogatus autem cauſam, reſpondit: Quia hoc animal adeò fidum eſt, vt amicos & ſocios ſuos in nullo quantumuis magno diſcrimine, vnquam relinquat.*

Hæc fabula docet eorum amicitiam appetendam, qui aduerſitatis tempore à præſtando auxilio non referunt pedem.

¶ De culice cibum & hoſpitium ab ape petente. 94

Cu-

*C*VLEX *hyberno tempore, cùm & fame & frigore se periturum conijceret, ad apium accessit aluearia, ab eis cibum & hospitium petens. Quæ si ab eis fuisset consecutus, promittebat filios earum artem musicã edocturum. Tunc quædam apis: At ego, inquit, artem meam malo liberi mei discant, quæ eos à famis & frigoris periculo eximere poterit.*

Fabula nos admonet, vt liberos nostros his artibus erudiamus, quæ eos ab inopia valeant vindicare.

¶ De asino tubicine, & lepore tabellario. 95

LEO *rex quadrupedũ aduersus volucres pugnaturus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab vrso, quid ei asini inertia, aut leporis timiditas ad victoriam conferre possent, quos ibi inter cæteros milites adesse cernebat, respondit: Asinus tubæ suæ clangore milites ad pugnam concitabit: Lepus verò ob pedum celeritatem, tabellarij fungetur officio.*

Fabula significat, neminem adeò contemptibilem, qui aliqua re nobis prodesse non possit.

¶ De accipitribus inter se inimicis, quos columbæ pacauerant. 96

ACCIPITRES *inuicem inimici quotidie decertabant, suisque odijs occupati, alias aues minimè infestabant. Columbæ eorum vicem dolentes, eos missis legatis cõposuêre. Sed illi vbi inter se amici effecti sunt, cæteras aues imbecilliores, & maximè columbas vexare, & occidere non desinebant. Tunc secum columbæ: Quàm vtilior accipitrum discordia, quàm concordia nobis erat.*

Hæc monet fabula, malorum inter se ciuium odia alẽda potius, quàm extinguenda: vt dum inter se digladiantur, viros bonos quietè viuere permittant.

De mu-

¶De muliere ignem in mariti domum ferente. 97

VIR *quidam prudens vxorem ducebat. Interrogatus autem ab amicis, quid sibi vellet facula illa, quam noua nupta accensam à paterna domo efferret, rursusq́; mariti domum ingressura accendit, & introfert: Significat, inquit, me hodie ignem, è soceri mei ædibus ablatum, in domum meam inferre.*

Fabula significat, sæpenumero mulieres ignem quendam esse, qui mariti bona comburit.

¶ De prætore repetundarum damnato. 98

PRÆTOR *qui prouinciam, cui præfuerat, expilauerat, repetundarum accusatus fuerat. Cumque ægrè ablata restitueret, dicebat quidam è prouincialibus: Hic noster prætor mulieres imitatur, quæ fœtus accipientes mira voluptate afficiũtur, cùm autem eos emittunt, incredibili dolore torquentur.*

Fabula significat, aliena non esse surripienda: ne illa deponere coacti, mœrore conficiamur.

¶ De sene mortem differre volente. 99

SENEX *quidam mortem, quæ eum è vita raptura aduenerat, rogabat vt paululũ differret, dum testamentũ conderet, & cætera ad tantum iter necessaria prepararet. Cui mors: Quur non, inquit, hactenus præparasti, toties à me admonitus? Et quum ille eam nunquam à se visam amplius diceret: Quum, inquit, non æquales tuos modò, quorum nulli ferè iam restant, verùm etiam iuuenes, pueros, infantes, quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatis tuæ? Quum oculos hebescere, auditum minui, cæterosque sensus in dies deficere, corpus ingrauescere sentiebas, non'ne tibi me propinquam esse dicebam?*

cebam? Et te admonitum negas? Quare vlterius differendum non est.

Hæc fabula indicat, ita viuendum, quasi mortẽ semper adesse cernamus.

¶ De viro auaro sacculum nummorum alloquente. 100

VIR *quidam auarus, qui ingentem aureorum aceruũ malè partum relicturus, moriebatur, interrogabat sacculum nummorum, quem morienti sibi iusserat efferri, quibus voluptatem esset allaturus. Cui sacculus: Hæredibus, inquit, tuis, qui nummos à te tanto sudore quæsitos, in scortis & conuiuijs profundent: & dæmonibus, qui animam tuam æternis supplicijs mancipabunt.*

Hæc indicat fabula, stultissimum esse in his laborare: quę alijs gaudium, nobis autem sint alllatura tormentum.

HECATOMYTHIVM EIVSDEM II.

LAVRENTIVS ABSTEMIVS MAGNIFICO AC STRENVO VIRO D. ANGELO GRYPHONI EQVITI AVRATO S. P. D.

COGITANTI mihi, vir magnifice, cui potissimũ dono darem hunc apologorum libellum: quem vt alium à me superioribus annis editum: & illustri principi Octauiano dedicatum, Hecatomythium, de numero fabularum nuncupaui: tu, non hoc modò, verũ etiã maiori dignus munere occurristi. Non quia vtroque parente clarissimo ortus sis: multi enim generosis orti parentibus, & à maiorum virtutibus degenerantes dedecori suis fuêre. Nec quia amplas diuitias

&

& opes possides: multi enim locupletissimi indocti, incultique sunt: quos Diogenes ille Sinopæus oues aureo indutas vellere nūcupabat: sed quia, vt multorum, & Benentis nostri præcipuè sermone accepi, ita omni virtutum genere fulges, ita literas & literatos amas, vt maiorum tuorum gloriam non modò æques, verùm etiam superes. Diuitijs verò non incumbis, vt draco ille peruigil, qui aurea mala seruabat, sed eas ad liberalitatem cōfers, & hoc famis tempore, ne homines inedia pereant, multorum succurris inopiæ. Cæteras virtutes tuas laudo & admiror: hoc autem pietatis opus quibus laudibus efferre debeam, non inuenio. Sed tu non hoc facis, vt humanam gloriam cōsequaris. Non enim hic mercedem recepturus es. Non in eorum numero reponendus es, de quibus Vergilius:

Aut qui diuitijs soli incubuêre repertis:
Nec partē posuêre suis, quę maxima turba est.

Meritò igitur te potissimùm elegi, cui hanc meā inscriberem lucubratiunculam, mei in te amoris & obseruantiæ testem. Tu verò pro tua humanitate hoc exiguum Abstemij tui munus læto animo & serena fronte suscipe: non rem, sed dantis animum, voluntatemque considerans. Vale, ex vrbe Fanestri pridie Kalēdas Maij, M. D. V.

¶ De diuite petente à Fortuna ne plures sibi daret diuitias. I

VIR quidam admodum diuitiarum & opum suarū pertæsus, mendico homini centū aureos obtulerat, si ad

si ad Fortunam suam accedēs, quæ in remotis orbis partibus morabatur, eam nomine suo rogaret, ne plures diuitias sibi cōcederet. Pauper longi itineris labore deterritus, primò abnuit: sed quum deinde consilij pœnitens se iturum polliceretur, diues non plusquam nonaginta dare velle se dixit. Pauper hanc paruam tanti laboris mercedem ratus, renuit primò, sed quum paulò pòst nonaginta peteret, diues vix vt octoginta daret, poterat adduci. Sed quum mendicus hunc quoque numerum recusaret, postea vellet, semper diues numero oblato decem detrahebat, donec ad denarium numerum peruenisset: Mendicus tandem, qui centum recusârat aureos, inopia vrgente aureis decem acceptis ad Fortunam se contulit, multis eam rogans precibus, ne in diuitem plures vellet conferre diuitias, quæ illi molestæ & graues admodum erant. Sed in se potius vellet esse benigna, qui à teneris annis in perpetua vixerat inopia. Tunc Fortuna: Constitui, inquit, diuiti illi, qui te misit, etiam nolenti duplicare, imò triplicare diuitias. Te autē in summa mendicitate perpetuò viuere faciam. Decem autem quos accepisti aureos, nunquam habuisses, nisi tunc arctissimus me oppressisset somnus.

Fabula indicat, Fortunā infelici homini semper aduersam, fortunato autem etiam nolenti semper esse propitiam.

¶ De vidua quæ operarium suum sibi coniugio copulauit. 2

VIDVA *quædam conquerebatur cum operario, quem ad fodiendum agrum conduxerat, quòd omni auxilio destituta non posset & viri & mulieris pariter officiū sustinere. Tunc operarius eam exhortari cœpit, vt virū acciperet, qui bonam magnamq́ue partem oneris ei demeret,*

meret, pollicitusque est se eam sibi matrimonio copulaturum, si eum tali officio idoneum iudicaret. Tunc mulier non ulterius cunctandum rata, quum hunc ad opus maritale admodum aptū arbitraretur: Fac, inquit, quicquid vis, deinde (erat enim hora prandij) comedemus. Operarius & huiusmodi confabulatione, & viduæ forma ad Venerem incitatus, Syluano auspice matrimoniū consummauit, proque agro viduam fodere cœpit.

Fabula indicat, quàm facilè humanæ mentes Venerea voluptate capiantur.

¶ De viro deflente vxorem, qui tamen ostendit statim aliam superducere velle. 3

VIR *quidam pauper defunctæ vxoris mortem multis lacrymis & querelis prosequebatur, se miserum & infelicem vocitans, qui tam probæ mulieris esset consortio destitutus: vtque suum in vxorem testaretur amorem, dicebat in morem turturis compare priuati, in perpetuo cælibatu velle permanere. Inter lamentandum autem cernens quòd mulieres, quæ ad curandū funus conuenerant, veste nimium sumptuosa defunctam induere volebant: Quid facitis, inquit, stultæ? Cur tam pretiosam vestem perdere vultis? quid alia vxor, quam ducturus sum feret? Tunc omnes, qui aderant, inter luctus & lacrymas vix risum poterant continere. Qui enim paulò ante cælibem vitam agere velle se dixerat, nunc de alia vxore cœperat cogitare.*

Fabula indicat, difficile esse animi ægritudinem verborū simulatione celare.

¶ De sacerdote, qui quinque Vestales prægnantes fecerat. 4

Sa-

SACERDOS *quidam spectatæ admodũ vitæ, ab episcopo venerabili viro, monasterium custodiendum curandumque acceperat, in quo quinque mulieres Deo dicatæ, iuuenes, sed non multum pudicæ erant inclusæ. Sed quoniam mentes quoque ferreæ libidine superantur, infelix vir non cogitans cui faceret iniuriam, illarum forma ac illecebris delinitus, intra anni circulum quinque ex illis filios procreauit. Quod quum Antistes audisset, ira & furore succensus, accersitum ad se sacerdotem vehementer increpuit, perfidum & sacrilegum hominem nuncupãs, qui templum spiritus sancti esset ausus violare. At ille rubore suffusus, quũ se aliter defendere nesciret: Domine, inquit, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Quo dicto tam faceto permotus episcopus, homini veniam dedit.*

Fabula indicat, peccata quum ratione nequeant, vrbanitate diluenda.

¶ De episcopo qui sacerdoti ignouerat, numos armatos afferenti. 5

EPISCOPVS *quidam pecuniæ, quàm salutis animæ cupidior, sacerdotem quendam, qui grauissimum quoddam scelus perpetrarat, condemnare decreuerat. At ille, cui præsulis sui erat auaritia nota, lancem aureis plenam, quibus imago regis armati erat impressa, episcopo dono dedit. Tunc antistes: Constitueram, inquit, te omnino perdere: sed quis posset tot armatis obsistere? inuitus te cogor absoluere.*

Fabula indicat, nullum scelus esse tam deforme, quod vir auarus pecuniæ magnitudine non condonet.

¶ De psittaco admirante cur maior honor alibi, quàm in patria sibi exhiberetur. 6

Psitta-

PSITTACVS *ex Oriente in Occidentem delatus, vbi huiusmodi aues nasci non consueuerunt, admirabatur sese in maiori pretio, & honore haberi, quàm in natali consueuisset solo. Nam caueam eburneam, argenteis contextam virgis incolebat, suauissimisque alebatur cibis, quod cæteris auibus Occidentalibus, quæ neque in forma, neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur in eadem cauea conclusus: Hoc, inquit, nulla est admiratione dignum. Nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.*

¶ De aquila in pulchritudine se cæteris auibus præferente. 7

AQVILA *se in pulchritudine cæteris auibus præferebat, cunctis hoc verum esse affirmantibus. Pauo autem secum dicebat: Non pennæ te formosam, sed rostrum et vngues efficiunt, quorũ timore nulla ex nobis audet tecum de formositate certare.*

Fabula indicat, à multis res potentiorum non tam veritate, quàm timore laudari.

¶ De testudine ab aquila in altum sublata. 8

TESTVDO *ægrè ferens se in locis humidis, & conuallibus assiduè commorari, Aquilam rogauit, quam audierat ita altè volare, vt maximos terrarũ tractus posset longè & latè despicere, vt se in altũ tolleret, vnde ipsa quoque montes & valles, campos, & æquor, eodem temporis momento, posset intueri. Quod quũ Aquila promptè fecisset, eam ex alto demisit, vnde cadens humi illisa & confracta est.*

Fabula monet, ne quis se altius extollere velit, quàm eius cõditio aut natura patiatur.

¶ De cane aduersus lupum asino non opitulante, quia sibi panem non dederat. 9

CANIS *Molossus non modò ad lupos, sed etiam ad vrsos expugnandos validus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundum autem oborta fame, asinus pratum offendens, largè ventrem virentibus herbis impleuit. Canis autem asinum rogabat, vt aliquãtulum panis sibi daret, ne periret inedia. At ille non solùm panem non dabat, sed canẽ irridens, illi vt secum herbas pasceret consulebat. Interim lupum aduenientem asinus conspicatus, canem rogabat vt sibi esset auxilio. Cui canis: Tu mihi, inquit, consuluisti, vt aduersus famem herbas pascerem: Ego quoque tibi consulo, vt aduersus lupum te ferratis calcibus tuearis. Hæc quum dixisset, abiens ingratum comitem, & raptoris sui mox cibum futurum in pugna deseruit.*

Fabula indicat, qui indigentibus expetita non præstat auxilia, ab alijs quoque necessitatis tempore solere destitui.

¶ De paupere flente ruinam domus, vbi thesaurum inuenit. 10

VIR *quidam pauper nihil habebat, præter domũ ruinam minãtem, tibicinibusq; suffultã, quã ab agro rediẽs quũ ruentem offendisset, nec haberet vnde eam reficeret, vehementer angebatur, magnoq; eiulatu & clamore cuncta complebat. Inter lamentandum autem cernit vrnulam æneã, quæ multos iam annos in pariete abstrusa latuerat, inter rudera & saxa iacentem, quam quũ sustulisset, apertamq; aureis plenam inuenisset, eiulatu & clamore compreßis, vehementi gaudio affectus est.*

Fabula indicat, sæpenumero id nobis vtile esse, quod dánosum putamus.

¶ De vulpe orante foramen domus modò dilatari, modò contrahi. 11

VVLPES *ingressura domum rustici, vbi gallinas audierat, foramen, per quod transeundum erat, dilatari cupiebat. Sed rursus quum raptam gallinam ferens inde fugeret, & latratum canis audiret, deos precabatur, vt cani foramen esset angustum, ne inde posset exire.*

Fabula indicat, mortales pro commodis suis vota mutare.

¶ De olea tardè, & cucurbita citò crescentibus. 12

OLEA *admirabatur Cucurbitam iuxta se natam breui tantùm creuisse, vt se esset longè altior, quæ annos quàm plurimos in eodem fuerat loco. Sed quum aduentante hyeme Cucurbita exaruisset: Minimè, inquit Olea, citò crescentibus est inuidendum, quibus tam citus est paratus interitus.*

Fabula indicat, nimium festinata non esse diuturna.

¶ De pecunia potius ad malos, quàm ad bonos accedente. 13

PECVNIA *interrogata à Virtute, cur potius ad malos quàm ad bonos accederet? Quia boni, inquit, mentiri, peierare, vsuram facere, & alios spoliare te magistra nõ didicerunt. Hæ enim res ad sese me trahere solent. Tunc Virtus: Malo, inquit, discipuli mei in paupertate degãt, quã sese his vitijs contaminent. Vtrisque enim citò moriendum est: Boni in terrarum orbe gloriam relinquentes sempiternam, ad cælestia regna subuolabunt: Mali autem merita notati infamia relictis opibus suis, ad tartara ima descendent.*

Fabula monet diuitias turpiter non congregandas, quæ a-

matoribus suis hîc infamiam, post mortem autem sint daturæ tormentum.

¶ De bubone dicente aquilæ filios suos cæterarun auium filijs esse formosiores. 14

AQVILA *in concilio auium duxerat, cæterarum auiũ filios, qui magis formosi essent, in aulicos eligere. Et cùm certatim quæque suos offerret, Bubo: Regina, inquit, nostra, meos accipe, qui cæteros pulchritudine superant. Qua forma, inquit Aquila, sunt filij tui? Qua ego sum, Bubo respondit. Tunc cunctæ aues sunt vehementi cachinno commotæ.*

Fabula indicat, neminem natum adeo deformem, qui parentibus suis non videatur esse formosus.

¶ De vulpe in puteum delapsa, quæ lupum rogabat vt inde eam subduceret. 15

VVLPES *in puteum delapsa, & iamiam submergenda, rogabat lupum in putei margine existentem, vt demisso fune illinc eam educeret. Cui lupus: Quomodo, inquit, istuc decidisti? Non est nunc, ait vulpes, istud narrandi tempus: quum me hinc subduxeris, tibi ordine cuncta narrabo.*

Fabula indicat, quomodo periclitantibus celeri auxilio opus est, superuacuis verbis tempus non esse terendum.

¶ De fele quæ murem & caseum comedit. 16

VIR *quidam magnum ac pulcherrimum in capsa caseum habebat, quem musculus edebat. Ex consilio ergo amici felem illuc clausit, quæ occiso mure totum caseum comedit.*

Fabula indicat, eos non adhibendos custodes, qui non minus, quàm hostes nobis nocere possunt.

De

¶ De lauto leonis conuiuio, non omnibus animalibus grato. 17

LEO *epulum opiparè apparateque cæteris brutis animalibus exhibebat, in quo gallinæ turdi, & huiusmodi auium carnes, partim assæ, partim elixæ erant. Hoc cani, feli, & cæteris animalibus carniuoris gratũ admodũ erat. Cætera autem, quæcunque herbis ordeoq́ue vescuntur, huiusmodi conuiuium vt insipidum damnabant.*

Fabula indicat, quàm difficile sit variæ vulgi voluntati satisfacere.

¶ De viro de morte patris pisciculos sciscitante. 18

VIR *quidam doctus ad conuiuium cuiusdam principis accitus, & in vltimo loco discumbere iussus, quum cæcæteris conuiuis magni pisces, sibi autem minutuli apponerentur, nullum edebat: sed singulos ori prius, deinde auribus admouens, tãquam aliquid ab eis sciscitaturus, in patinis integrès & illæsos reponebat: interrogatus à magistro conuiuij, cur hoc faceret: Meus, inquit, pater ante hoc biennium his in regionibus naufragio perijt, nec quid de eius cadauere factum sit, postea scire potui. Sciscitabar ergo ab his pisciculis, an aliquid de eo scirēt. Verùm hi eo tempore nondum se natos fuisse respondēt. Quare maiores interrogandi essent. Princeps audito tã lepido dicto, ipsi quoque maiores iussit exhiberi: semperq́ue eum postea inter præcipuos conuiuas habuit.*

Fabula indicat, apud literarum inopes doctis viris non tam doctrinam, quàm facetias & vrbana dicta prodesse.

¶ De cane pluuiam timente, quia feruenti aqua fuerat excoctus. 19

CANIS *quidam quoties pluebat, domo egredi non audebat. Interrogatus ab alio cane cur hoc faceret: Quia,*

inquit, quondam feruenti aqua excoctus sum.

Fabula indicat, grauia mala expertis, leuissima quæque timori esse.

¶ De viro qui vicino conuiciante vesicam concutiebat. 20

VIR *quidam prudens, mitis, ac tranquilli ingenij habebat vicinum maledicum, iurgioru͂ amantem, qui eu͂ quotidie conuicijs & maledictis ad iram prouocabat. Vt igitur illius petulantiam & procacitatem retunderet, quoties eum conuiciantem audierat, nil respondebat, sed vesicam vento plenam, in qua fabas concluserat, concutiebat, cuius sonitu illum erubescere, & à conuicijs desistere compellebat.*

Fabula indicat maledicis & stultis viris minimè respondendum, ne eis similes iudicemur.

¶ De asino qui porco inuidebat. 21

ASINVS *porco, qui sub eodem erat domino, plurimu͂ inuidebat, quòd omnis laboris expers, varijs nutriretur cibis, in diesque pinguior fieret: ipse autem plurimum laboris sustinens, duris paleis aleretur: vnde macilentus effectus vix ingredi posset. Sed vbi videt contubernalem suu͂ ad lanienam trahi, vt occisus hominum esset cibus, aliquantulum recreatus: Atat, inquit, hinc illa in nutrie͂do porco hominum diligentia. O quàm melius est asinum esse quàm porcum.*

Fabula indicat, ijs quos felices putamus, minimè inuidendu͂, cùm illa adumbrata felicitas sæpe multis sit causa miseriæ.

¶ De muliere ob turdos verberata. 22

VIR *quidam iracundus emens merulas, dederat vxori coquendas dicens: Coque hos turdos. Cui vxor: Merulæ*

sunt,

ſunt, non turdi. Cùm autem maritus contenderet eſſe turdos, nec vxorem poſſet inducere, vt turdos eſſe aſſentiretur, plurimis eam verberibus affecit. Exacto autem anno, cùm dies certaminis illuxiſſet, mulier verberum memor: Hæc eſt, inquit illa dies, qua me ſuperiori anno ob illas maledictas merulas tã malè tractaſti: Adhuc, inquit vir, negare audes illos fuiſſe turdos? & cùm rurſus mulier viro non cederet, iterum vapulauit: ſicque quotannis eadem die redeunte vapulabat.

Fabula indicat, ſtultum eſſe aduerſus potentiores ſe ob minimam rem velle contendere.

¶ De viro qui experiri voluit mentem vxoris. 23

VIR *quidam callidus experiri cupiens animum vxoris, quæ ſæpenumero dicere ſolebat, adeò viri amorem ſibi infixum, quòd ſi optio daretur, mariti vitam ſua morte redimeret, ſuper nudos vtriuſque pedes ſtupam igne ſuccenſam decidere permiſit. Tunc mulier dolore affecta, amoriſque oblita mariti, à ſuis tantùm pedibus ardentem ſtupam excuſsit.*

Fabula viros admonet, ne mulieribus fidem adhibeant, cùm maritos magis quàm ſeipſas amare teſtantur.

¶ De opilione qui inter canes lupum aluerat. 24

OPILIO *reperiens catulum lupi, domum tulit, eũq; inter canes ouium custodes, aluit: qui vbi adoleuit, oues occidere, caneſque vt vnà ſecum comederent edocere. Quod opilio animaduertens lupum quidem occidit, canes tamen, vt ab ouium cæde temperarent, non poterat prohibere. Tunc paſtor ſecum: Meritò plector, vt qui lupum canibus immiſcui, qui eos oues occidere docuit.*

Fab. indicat, bonorum mores malorũ cõſuetudine corrũpi.

¶ De filio hortulani puncto ab vrtica. 25

FILIVS *olitoris punctus ab vrtica, quæ paternis in hortis creuerat, conquestus est patri, quòd herba domestica ne heri quidem sui filio pepercisset. Cui pater: Fili, inquit, huic innatum est omnibus eandem esse.*

Fabula indicat, virum natura malignum, ne à domesticorũ quidem iniurijs abstinere.

¶ De gallo vulpinam pellem fugiente. 26

GALLVS *à vulpe captus, magna difficultate illius manus euaserat. Hic paulò pòst visa vulpis pelle vehementer territus fugiebat: qui cùm à cæteris irrideretur auibus, quòd inani timore concuteretur: Si inter vulpis vngues, vt ego, inquit, fuissetis, pedum vestigia, nedũ pellem illius timeretis.*

Fabula indicat, è magnis periculis elapsos, quæque minima formidare solere.

¶ De pastore gregem suum aduersus lupum hortante. 27

PASTOR, *qui magnum caprarum ouiumq́ gregem habebat, videns gregem suum quotidie lupi escam fieri, ac minui oues & capras congregans, longa eas oratione hortatus est, ne vellent lupum formidare, quũ essent numero plures, & cornibus, quibus lupus careret, insuper armatæ, sed vellent vnanimiter, & auxilio mutuo sese ab illius impetu & furore defendere, promittẽs se quoque eis non defuturum. Illæ hac oratione animatæ promittunt, iurantq́ue se nequaquam lupo cessuras. Quum autem paulò pòst lupus aduentare nunciaretur, tanto timore affectæ sunt, vt nullis pastoris verbis possent à fuga cohiberi. Tunc pastor secum: Impossibile est, inquit,*

mu-

mutari posse naturam.

Fabula indicat, homines natura ignauos ac meticulosos, non solùm conspectu, sed etiam hostium fama terreri, nullaque du cis oratione ad virtutem accendi.

¶ De apro asinum ad certamen prouocante. 28

APER *asinum ad certamen prouocans, sperabat se victorem fore, quòd longiores acutioresque sibi, quàm aduersario, dentes essent. Sed quum asino propinquasset, ferratis pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulò pòst ad se reuersus: Non istinc me lædi, inquit, credebã.*

Fabula indicat, virum prudentem omnia explorare debere, vnde ab aduersario possit offendi.

¶ De viro, qui vxori se ouum peperisse dixerat. 29

VIR *quidam experiri volens, an vxor commissa tegeret: Vxor, inquit, magnum portentum, & silentio dignum, mihi hac nocte contigit (cum illa enim cubans hoc dicebat) quod enarrarem si à te non efferri arbitrarer. Verùm non audeo, quia mulieres rimarum plenas, & hac illac perfluentes audio. Cui vxor: Nondum me pernosti mi vir: qui ex aliarum ingenijs me iudicas. Potius mortem mihi paterer inferri, quàm aliquid contra tuam voluntatem efferrem, idque iureiurando cœpit affirmare. Tunc maritus quasi verbis illius fidem haberet: Peperi, inquit, hoc ouum (dormitum enim proficiscens ouum secum attulerat) Sed caue, si me amas, ne cui hoc dicas. Tute enim nosti quanto dedecori mihi esset, si ex viro gallina factus dicerer. Mulieri tardè admodum nox discedere visa est. Vix ergo aurora rutilante commatrem conueniens, narrat maritum duo oua peperisse. Illa verò alteri mulieri compatrem suum tria*

oua

oua enixum esse. Quid multis moror? Antequam Sol occideret, per totam urbem vulgatum est hunc hominē ad XL. oua peperisse.

Fabula indicat, quę taceri volumus, nulli mulieri esse dicēda.

¶ De sacerdote, qui turdos puero suo assandos dederat. 30

SACERDOS *gulæ deditus decem turdos pingues veru infixos, puero suo assandos dederat dicens, oportere ab illo omnes ad vnum edi, si in cinerem deijceret. Quum paulò pòst rediisset (fuerat enim ad quadā negotia expedienda profectus) reperit puerū eiulantē. Qui interrogatus, cur fleret, respondit; quia non potuisset nisi nouem comesse, quum in cinerem decidissent, rogaretque ne alium tunc esse cogeretur, quoniam satis superque venter sibi turgidus esset. Sacerdos irritatus cum pueri amentia, tum quia se cœna priuatum conspiciebat, educto extra limen domus puero, ostendit ei tres vias, dicens: Elige quam vis, hic pernoctaturus non es.*

Fabula indicat, amentes seruos domi non habendos.

¶ De ficedula turdum in fertiliorem locum ducente. 31

FICEDVLA *per locum quendam desertum iter faciens reperit turdum labruscæ vuis, & syluestrium arborum baccis victitantem: apud quem hospitata, hortata est eum, vt relicto tam sterili & deserto loco, secum pergeret: se enim ducturam eum in regionem, suauissimus vuis, ficis, & omni pomorum amœnitate refertam. Quum autem turdus illius consilijs obsecutus, in locum à ficedula prædictum peruenisset, reperit cibos adhuc suauiores, quàm illa promiserat. Sed quum videret nonnullas aues visco implicitas, alias laqueis captas, complu*

res

res retibus irretitas, & mille insidias ac dolos auibus tensos, vale ficedulæ dicens, antiquam in patriam rediit, vbi vsque ad decrepitam ætatem, absque vllo insidiantium metu, vitam tranquillè protraxit.

Fabula indicat, longè melius esse tenui, & agresti victu quietè viuere, quàm lautis & opiparis epulis, inter vitę discrimina.

¶ De viro auaro moriente. 32

VIR *auarus moriens, quum tunc demum intelligeret, nihil secum laturum, vertit se ad amicos et propinquos, quos præsentes cernebat, dicens: Discite à me, qui omne vitæ tempus struendis opibus incubui, ne nimiùm studeatis cõgregare diuitias. Ex tot enim terræ iugeribus, & tam pretiosis vestibus, quas tanto sudore paraui, quinque pedum fossam, & linteamen vnum, quo mortuus tegar, possidebo.*

Fabula indicat, stultum & miserum esse, tantam coaceruandis opibus operam impendere, quæ velimus nolimus breui sunt relinquendæ.

¶ De grammatico docente asinum. 33

GRAMMATICVS *quidã gloriabatur adeò in arte sua se excellentem esse, vt si digna daretur merces, non modò pueros, verum etiam asinos docere profiteretur. Princeps audiens hominis temeritatem, interrogat eum, an si quinquaginta ei daret aureos, intra decennium docere asinum confideret. Respondit vir impudens, non recusare se ab eo interimi, si hoc spatio temporis Asinus ille legere & scribere nesciret. Amici hoc audientes admirabãtur, increpabantq́; hominẽ, qui non modò rem arduã, atque difficilem, verùm etiã impossibilem facere promisisset, timebantq́; ne exacto hoc tempore à principe occideretur. Quibus ille respondebat: Antè quàm hoc*

hoc tempus elabatur, aut asinus morietur, aut Princeps, aut ego.

Fabula indicat, in periculo constitutis moram sæpe auxilio esse solere.

¶ De lupo, qui se religioni addixerat. 34

LVPVS *in senium adductus, cùm non amplius venari posset, sese religioni addixit, sumptoque monachi habitu, cibum ostiatim mendicabat. Reprehensus ab alio lupo, quid vis, inquit, faciam? dentes deciderunt, currere non valeo: quare aliter viuere posse diffido.*

Fabula declarat, multos homines religioni sese addicere, quia aliter vitam degere nequeunt.

¶ De morione crucifixum pro turibulo afferente. 35

SACERDOTES *complures in quoddam templum ad solennia celebranda conuenerant, vbi turibulum nõ erat. Miserunt ergo morionem quendam ad aliud templum propinquũ, vt inde turibulum afferret: qui profectus, quum quid esset turibulum nesciret, crucifixũ ligneum, quem ibi fortè offendit, humeris tollens attulit sacerdotibus: qui ridentes, cùm non crucifixum, sed turibulum velle dicerent: At ego, inquit fatuus, nil ibi hoc magis tribulatum inueni.*

Fabula indicat, res peragendas fatuis non committendas.

¶ De serpente saxo oppresso. 36

SERPENS *ingenti oppressus saxo, rogauit virum illac iter habentem, vt à se onus amoliretur, pollicitus ingentem se illi thesaurum, si hoc faceret, daturũ. Quod quũ vir mitis fecisset, non modò promissa non soluebat, sed hominem morte dignũ esse dicebat. Cùm ita contenderet, accidit vt simius illac transiret: qui iudex & arbiter electus:*

lectus: Non possum, inquit, inter vos tantas cõponere lites, nisi videro prius quopacto serpens sub saxo stabat. Quum ergo vir serpenti saxum imposuisset, inquit simius: Ingratum animal sub saxũ relinquẽdum censeo.

Fabula indicat, ingratos homines nullo dignos esse beneficio

¶ De viro lapidato, qui resurrexit. 37

VIR *quidam lapidibus occisus à populo, resurrexit: qui interrogatus à quodam, quid sibi in ea lapidatione molestius fuisset: Nihil, inquit, lapide quem quidam iecit, quem mihi amicum esse credebam, quamuis non fuerim illo percussus.*

Fabula indicat, mala quæ ab amicis inferuntur, grauiora videri, quàm quæ nobis inferunt inimici.

¶ De vulpe capta, & à gallo prodita. 38

VVLPES *rustici laqueis, cuius plurimas gallinas occiderat, capta, rogauit gallũ, à quo solo visa fuerat, vt aut cultellum, quo laqueum scinderet, sibi afferret, aut hero nihil diceret, quoad dentibus laqueum abrupisset. Gallus vtrunque pollicitus, dominum properè adiens, narrat vulpem casse detineri. quem claua armatum ad se perdendam venientem vulpes conspicata: Infelix, inquit, & stulta ego, quæ credidi gallum mihi fidum fore, cuius tot vxores occideram.*

Fabula indicat, ijs, quos insigniter læsimus, nunquàm fidendum.

¶ De vulpe gallinas metu canis inuadere non audente. 39

VVLPES *cohortem gallinarum, nocte inuadere nõ audebat, metu canis, quem apud eas pernoctare cognouerat. Sed quum eas altò migrasse, vt cum nonnullis alijs*

gallinis

gallinis degerent, intellexisset, vbi canis non erat, voti compotem se fore rata, illuc se conferens, ad vnam omnes occîdit.

Fabula indicat, melius esse bonum & strenuum vicinum, quàm ignauos consanguineos habere propinquos.

¶ De gallinæ pullo matri non obsequente, vnde à miluo raptus est. 40

GALLINA *pullos complures habens, vehementer extimescebat, ne sibi à miluo surriperentur. Vnde sæpe eos sub ala viso miluo congregans, ab inimica alite tutabatur. Sed quadam die, miluum ad se accedentem conspicata, filios conuocauit, qui omnes properè ad vocem matris currentes, salui facti sunt, vno dũtaxat excepto, qui matris voce contempta, dum granum tritici esse cupit, per aëra curuis vnguibus à sæua aue raptus est.*

Fabula indicat, qui parentum imperio non obsequuntur, in maximas calamitates incidere.

¶ De lupo in fossam lapso, & vulpe irridente. 41

LVPVM *in fossam lupariam delapsum vulpes conspicata irridebat, & circum oras & fossæ marginem lætabunda saltitabat, stolidum animal illum appellãs, qui hominum fraudes non animaduertisset. Dum sic ergo lasciua gestiret, subsidens terra eam traxit in præceps: quàm delabentem lupus conspicatus: Maximũ, inquit, nunc mortis meæ solatium ad manes feram, videns vulpem, quæ me irridebat, mecum pereuntem.*

Fabulà indicat, vllorum calamitatibus nunquam insultandum, quum in easdem nos quoque incidere possimus.

De lupo oues inuadere volente, sed impedito. 42

LVPVS *& leo contracta inter se amicitia victũ quærita-*

ritabant: quum lupus audito ouiũ balatu: Confide, inquit, amice, cibus iam aderit. Secutus ergo ouium vocem, quũ ad ouile perueniſſet, reperit illud optimè munitum, & canes propè dormientes. Reuerſus igitur ad leonem: Non placet, inquit, mihi, quòd in præſentia edamus oues: macilentæ admodum enim ſunt, ſinamus eas pingueſcere, redituri quum fuerint pingues effectæ.

Fabula eos arguit, qui impediti ne quid faciant, ſe noluiſſe argumentantur.

¶ De vulture à canibus capto ob prædam non dimiſſam. 43

VVLTVRES *duo cadauer depaſcentes, duo ingentia carnis fruſta abſciderant, quæ vnguibus per aëra ferre decreuerant, cùm ſubitò canibus aduentantibus, alter eorum dimiſſa ſua parte cadaueris, eiulans ſtatim à canum conſpectu procul abijt: Alter prædæ intentus, dum partem ſuam dimittere cunctatur, à canibus captus eſt: qui dum ſe iamiam moriturum videret: Heu inquit, me miſerum & infelicem, qui paruæ voluptatis cauſa tot vitæ voluptates amittam.*

Fabula indicat, nimiam acquirendi cupiditatem ſæpenumero auaris attuliſſe perniciem.

¶ De olitore, qui talpam occidere volebat. 44

OLITOR *talpam capiens, eam interimere volebat. Cui illa: Ne occidas, inquit, mi here me famulam tuam tã pulchra pelle contectã, & hortulos tuos gratis fodientem. Non me, reſpondit olitor, his blãdulis delinies verbis, quum inuito hortulos meos, vt dicis, fodiens, herbas omnes, vt te ipſam paſcaris, radicitus eruas & me ad inopiam redigas.*

Fa-

Fabula indicat, in cunctis rebus voluntatem hominum esse spectandam.

¶ De viro diuite illiterato, & inope docto. 45

VIR quidam diues, sed illiteratus, virum doctum, sed inopem deridebat, quòd ipse sua industria multas diuitias congregasset, quum ille qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur. Cui ille: Nil mirum, quũ tu opibus coaceruandis, ego verò doctrinæ comparandæ, quæ longè diuitijs præstat, incubuerim. Hinc inter diuitem & literatum orta contentio, vtrum doctrina, an gaza præstantior esset, componi non poterat, quũ vterque multos fautores haberet, sed plures diues. Tandem hoc pacto compertum est, doctrinam gaza præstantiorẽ esse. Discordijs ciuilibus ambo solùm mutare compulsi, quum nihil secum è suis fortunæ bonis ferre potuissent, in aliam vrbem se contulerunt, vbi vir literatus magna ad docendum mercede conductus in magno pretio & honore habebatur. Qui verò diues fuerat panem ostiatim petere coactus inopia, confessus est, se sua opinione deceptum.

Fabula indicat, fortunæ bona, quoniam huc & illuc transeũt, ab animi bonis, quæ propria & perpetua sunt, longè superari.

¶ De vulpe capta à cane, dum se mortuam simulat. 46

VVLPES simulans se defunctam, vt aues ad se, tanquam ad cadauer accedentes, interciperet, luto oblita in quodã agro resupina iacebat expectans cornices, coruos, & huiusmodi rapaces volucres, quas deuoraret, quũ superueniens canis, eam mordicus captã cœpit dentibus lacerare. Quod illa animaduertens: Digna, inquit, patior:

tior: nam dum fraudibus aues capere studeo, ab alio ipsa capta sum.

Fabula indicat, qui alijs insidias moliuntur, molestè ferre nō debere, quòd ipsi quoque ab alijs capiuntur.

¶ De vrso qui vxori oculum eruit. 47

VRSVS *dum fortè cum vxore rixaretur, oculum illi eruit. Sed postea pœnitens, tanto dolore affectus est, vt vngues sibi mordicus praecideret. Deinde quum inter loquendum diceret, prae suo in vrsam amore, se proprijs armis exuisse: Quid, inquit vxor, istud luscae mihi nūc prodest? Antequam oculum mihi erueres, istud faciendum fuit.*

Fabula indicat, post illatas iniurias seram esse pœnitentiam, quum facta infecta fieri non possint.

¶ De leone irato contra ceruum lætum morte leænæ. 48

LEO *omnes quadrupedes ad defunctae vxoris exequias honestandas inuitârat. Cunctis igitur alijs mortem reginae ineffabili dolore prosequentibus, solus ceruus, cui illa filios eripuerat, expers doloris, nullas lacrymas emittebat. Quod leo percipiens, accersitum ad se ceruum, vt illum perimeret, interrogat, cur non cum alijs reginae mortem fleat. Cui ille: Fecissem, inquit, nisi me hoc facere prohibuisset. Aduenienti enim mihi, felix eius anima ad Elysias sedes proficiscens apparuit, dicens, eius discessum non lugendum, quum ad amœna vireta fortunatorum nemorum, sedesque beatas proficisceretur. Haec leo audiens laetatus est, ceruoque veniam dedit.*

Fabula indicat, viri prudentis officium esse, interdum fingere, & sese à potentium furore honesta excusatione tutari.

¶ De patrefamiliâs succensente cani ob gallinas raptas. 49

N Pa-

PATERFAMILIAS *oblitus haram, in qua gallinæ pernoctabant, claudere, quum manè surrexisset, reperit omnes à vulpe occisas, & ablatas esse. Indignatus igitur in canem, tanquam malum rerum suarum custodem, multis illum afficiebat plagis. Cui ille: Si tu, inquit, cui gallinæ oua & pullos pariebant, in occludendo ostio negligens fuisti: quid mirum, si ego alto sopore oppressus, vulpem venientem non sensi, qui nulla ex illis emolumenta percipiebam?*

Fabula indicat, haud vnquam sperandum diligentem fore familiam, cuius paterfamiliâs negligens fuerit.

¶ De delectore militum. 50

DELECTOR *quidam missus à duce suo ad milites deligendos, qui rebus bellicis magis idonei viderentur: inter cæteros quendam eligere volebat procera statura, & qui aspectu ipso præ se ferebat strenuum bellatorem. Tum ille: Falleris, inquit, ô delector: non sum enim is qui videor.*

Fabula indicat, ex ipso corporis habitu homines non esse iudicandos.

¶ De vulpe gallinam incubantem occidere volente. 51

VVLPES *rustici cuiusdam domum ingressa, reperit in nido gallinam ouis incubantem: quæ eam rogabat dicens: Ne me obsecro, in præsentia occîdas macilentam. Expecta paululum, dum pulli mihi nascantur, quos vt tenellos absque dentium dolore esse poteris. Tũc vulpes: Non essem, inquit, inter vulpes numeranda, si nunc esuriens, spe pullorum, qui nõdum nati sunt, paratum omitterem cibum. Dentes validos gero, qui quamlibet durissimam carnem molere consueuerunt. Hæc dicens, gallinam deuorauit.*

Fabula indicat, eum amentem esse, qui incerta spe maiorum rerum, præsentes omittit.

¶ De cane, qui societatem cum asino aduersus lupum iniuit. 52

CANIS *Molossus cognoscens se lupo, cum quo magnas exercebat inimicitias, imparem, statuit aliquem sibi socium asciscere, vt mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem asinum lupo vocaliorem, maiorem, clitellisq́ velut thorace armatum, magnasque pilas podice cum magno tonitru emittentẽ, ratus est eum strenuũ esse bellatorem. Quare contracta societate, lupum ad pugnam prouocauit. Sed vbi ad primum lupi conspectum asinum fugientem vidit, nihilque aliud quàm inconditos clamores, & magnos ventris crepitus edentem, ipse quoq; fugiens, sociũ in ipsa pugna deseruit pabulum lupo, vulneribusque futurum.*

Fabula indicat, stultos esse, qui hominum virtutem ex verborum ampullositate, & corporis proceritate dijudicant.

¶ De lupo gregem aggresso, quum ibi duo canes essent inter se pugnantes. 53

LVPVS *ex alta specula contemplatus canes geminos greges ouium custodes inter se pugnantes, & sese mutuis morsibus dilacerantes, spem concepit posse tutò oues inuadere. Magno igitur impetu in oues delatus, quùm vnam oppidò pinguem rapuisset, concitè fugiebat. Canes id conspicati, omissa domestica pugna lupum fugientem assecuti, tantis illum affecère vulneribus, vt vix posset euadere. Cùm autem mox ab alio lupo interrogaretur, cur solus gregem esset adortus, vbi tã validi erant propugnatores: Domestica, inquit, pugna deceptus sum.*

Fabula indicat, quòd inimicitiæ externorum, discordes propinquorum animos reconciliare solent.

¶ De asino qui obiens vinum effudit. 54

V I R *quidam pauper, cui præter vini dolium, & asinũ nihil erat, filiam vnicam cuidam sponderat adolescenti, paulum nescio quid pollicitus dotis, quam ex vini & asini pretio (constituerat enim hæc venundare) cõtrahere posse arbitrabatur. Sed sequenti, qua sponsalia facta sunt, nocte asinus obijt, & inter moriendum, fracto calcibus dolio, vinum effudit.*

Fabula indicat, nullam in rebus caducis spem habendam.

¶ De arundine nidulum ab auicula petente. 55

A R V N D O *ægrè ferebat, quum cæteræ non solùm arbores, verùm etiam herbæ interdum nidos auium sustinerent, se eo honore priuari. Rogauit ergo auiculam quandam, vt in ipsa nidificaret. Cui illa: Facerem, inquit, nisi instabilitati tuæ diffiderem. Nolo enim filiorum meorum domum in fundamento tam instabili collocare.*

Fabula indicat, res nostras viris instabilibus minimè committendas.

¶ De pica cuculum pro accipitre fugiente. 56

P I C A *inter arborum frondes delitescentem cuculum conspicata, accipitrem esse suspicata est. Quare concita fugiebat. Quod nõnullæ aliæ aues conspicatæ, quæ prope aderant, intuitæ, picam irridebãt, quòd pro accipitre cuculum fugeret: quibus illa: Malo, inquit, à vobis irrideri, quàm ab amicis fleri.*

Fabula indicat, melius esse inimicis ridendi, quàm amicis flendi præbere materiam.

¶ De seruo, qui asinum heri è rupe deiecit. 57

SERVVS *cuiusdam agricolæ asinum domini sui ex alta rupe præcipitem dedit, ne quotidie huc & illuc illum agere cogeretur, mentitusq; est domino, illum sponte sua se deiecisse. Ob hoc dominus seruum compellebat omnia humeris suis ferre, quæ ante asinus portabat. Quod seruus nequam animaduertens: Malè, inquit, mihi consului, cùm innocentem conseruum meum peremi, qui me tanto labore leuabat: iustè nunc plector.*

Fabula indicat, insipientes dum mala à se amoliri volunt, sæpe incidere in grauiora.

¶ De porco post mortem domino gratiam referente. 58

PORCVS *criminatus ab ouibus, quòd domino, à quo tanta pascebatur diligentia, nullam referret gratiam, cùm ipsæ lac, lanam, agnosque illi præberent: Mortuus, inquit, referam: non ab re me nutrit.*

Fabula indicat, quòd nemo absque spe præmij laborem subit.

¶ De merula miluum extimescente. 59

MERVLA *suspiciens miluũ magno ambitu aëra circinantem, ingentesque eiulatus edentem, vehementer exterrita est. Cui turdus: Ne trepida soror, inquit: tantos pugnæ apparatus, totque minas in exiguum murem, aut in pullum gallinaceum tandem effundet. Cauendũ nobis est ab accipitre, cuius prius vngues, quàm vocem sentire solemus.*

Fabula indicat, magis quietos & tacitos homines, quàm minaces & verbosos extimescendos.

¶ De gallis inter se pugnantibus. 60

GALLI *duo, vt eorum mos est, inter se de ducatu gallinarum acerrimè certabant. Qui superior in pugna fuerat, alarum plausu, vocisque cantu se victorem fuisse significans, Venere & otio emarcuit. Victus autem à conspectu gallinarum profugiens, cum cornicibus & pauonibus sese quotidie pugnando exercebat: inferendi, vitandique ictus artem discebat: qui vbi se satis instructũ vidit, rediens, aduersarium ad pugnam prouocatũ nullo negotio superauit.*

Fabula indicat, nihil æquè milites eneruare, quàm nimiũ Veneris vsum, desuetudinemque pugnandi.

¶ De viro benefico, qui in latrones inciderat. 61

VIR *beneficus, & in cunctos liberalis, peregrè profectus incidit in latrones, qui circunstantes cùm eum interimere vellent, exclamauit vnus ex eis: Ne interficiatis hunc virum bonum, & de me bene meritũ. Quippe qui me nõ solùm olim benignè suscepit hospitio, verumetiam ægrotum fouit, medicoque curandum tradidit. Quibus verbis moti socij, illũ illæsum abire permiserũt.*

Fabula indicat, quoad possumus beneficia in cunctos conferenda,

¶ De cane qui occidit filium domini. 62

VIR *quidam diues, venandi studio mirificè deditus complures canes alebat, quorum vnus filium domini morsu interfecit. Dominus ira percitus, nõ solùm homicidã, verùm etiam omnes alios iussit occidi. Tunc ait vnus ex eis: Vnus peccauit, & cuncti plectimur.*

Fabula indicat, vnius malignitatem sæpe multis obesse.

¶ De agricola icto ab ape. 63

AGRICOLA *ictus ab ape, admirabatur, vt ex eodẽ ore*

ore succus tam suauis, & stimulus tanti doloris exiret. Respondit apes: Quò beneficentior sum, eò maiori odio prosequor mihi inferentes iniuriam.

Fabula indicat, quò magis homines benefici sunt, eò minus iniurias tolerare.

¶ De capra prohibita à cane hortum intrare. 64

CAPRA *esuriens hortum quendam, vbi virentia viderat olera, intrare cupiebat: Sed canis molossus, quem olitor custodē apposuerat, non permittebat, minitans ei mortem, si pedem introferre tentaret. Cui capra: Quid, inquit, me esse prohibes, quæ tibi nulli sunt vsui? Nulla, respondit canis, ratione hoc facio: sed quia ita mihi insitum est à natura.*

Fabula exprimit naturam auarorum, qui multis rebus abundant, quibus neque ipsi fruuntur, neque alios frui patiuntur.

¶ De hydro ranam deuorare volente. 65

HYDRVS *in quadam palude ranam persequebatur, quem quū illa euadere non posset, conuersa dicebat: Ne me deuora hydre, quæ nulli vnquam nocui. Cui hydrus: Clamor tuus, inquit, minaq́, quibus die noctuq́, obstrepis, te maleficum animal esse testantur. Quòd autem nō noceas, impotentia causa est, dentes enim non habes.*

Fabula indicat, multis non animū nocendi, sed vires deesse.

¶ De iuuene ducturo vxorem, rogante amicos, vt pro se orarent. 66

IVVENIS *quidam desponsurus vxorem, quum interrogaretur, an eam vellet: conuertit se ad amicos & propinquos, qui ibi aderant, dicens: Quid vt muti siletis? Cur non Deū, vt me hodie adiuuet, oratis? Si enim ster nutantibus Deum adesse precamur, vbi nullum est pe-*

riculum, quantò nunc magis pro me orare debetis, cui tantum videtis imminere discrimen?

Fabula indicat, ducentes vxorem maxima adire pericula.

¶ De viro decrepito arbores inferente. 67

V I R *decrepitæ senectutis irridebatur à iuuene quodã, vt delirus, quòd arbores insereret, quarum non esset poma visurus. Cui senex: Nec tu, inquit, ex ijs, quas nunc inserere paras, fructus fortasse decerpes. Nec mora: Iuuenis ex arbore, quam surculos decerpturus ascenderat, ruens collum fregit.*

Fabula indicat, mortem omni ætati esse communem.

¶ De claudo primum accubitum occupante. 68

C L A V D V S *quidam ad nuptias inuitatus, in primo discubuit loco. Sed magister conuiuij eum inde detrahens, in vltimo collocauit, dicens: Sedes nulla datur præterquam sexta trochæo: alludens ad hunc pedem, cui duæ syllabæ dispares sunt, vt illi pedes erant: & qui in vltima metri heroici locatur sede, vt ille ima conuiuij parte dignus erat.*

Fabula indicat, primos accubitus non occupandos, ne irrideamur inde detracti.

¶ De viro qui thesaurum compatre conscio abdiderat. 69

V I R *quidam admodum diues, thesaurum in sylua infoderat, nemine præter compatrem, cui plurimùm fidebat, cõscio. Sed quũ paucis pòst diebus ad eum visendum accessisset, reperit effossum, atque ablatum. Suspicatus igitur id, quod erat, à compatre sublatum, eũ conueniens: Volo, inquit, compater mi, mille aureos, vbi thesaurum abdidi, adhuc infodere. Compater cupiens plura lucrari, re-*

ri, retulit, reposuitque thesaurum: quem quũ verus dominus paulò pòst accedens reperisset, secum domum tulit, conueniensque compatrem inquit: Fœdifrage, ne sumas inanem laborem, vt ad thesaurũ accedas, amplius enim non inuenies.

Fabula indicat, quàm facile sit virum auarum spe pecuniæ decipere.

¶ De leone à vulpe edocto, vt posset è vinculis exire. 70

L E O *comprehensus laqueo, totis viribus vincula dirũpere conabatur: quò autem maiori conatu laqueum trahebat, eò arctiùs detinebatur. Vulpes illac iter habens, cùm hoc esset intuita: Non viribus, inquit, mi rex, istinc euades, sed ingenio. Relaxandus enim laqueus, & dissoluendus, non trahendus est. Quod quũ leo fecisset, statim soluto laqueo, quo erat astrictus, liber euasit.*

Fabula indicat, ingenium viribus longè esse præstantius.

¶ De psittaco ob artem exprimendi verba humana honorato. 71

P S I T T A C V S *in aula regis degens interrogabatur à cæteris auibus, quid ita in magno haberetur honore. Quibus ille: Quia, inquit, exprimendi humanas voces artem edoctus sum.*

Fabula nos admonet, vt bonas & liberales ediscamus artes, si volumus vbique clari honorabilesque haberi.

¶ De philosopho cynico, qui percussori suo argenteum dedit nummum. 72

P H I L O S O P H V S *Cynicæ sectæ in iurgio colapho percussus, non solùm commotus non est, verũ etiam percussorem argenteo nũmo donauit. Quod quũ omnes qui aderant, admirarentur, dicerentque eum dignum iterũ cædi: Nescitis nunc, inquit, quid egerim: scietis autem postea.*

postea. Haud longo pòst tempore percussor ille volens quendam alium cædere (sperabat enim aliquid fortasse lucrari) letale vulnus accepit. Mortem igitur sibi imminere sentiens: Quantò melius, inquit, mihi fuisset colapho à Cynico repercuti, quàm nūmo etiā aureo donari.

Fabula indicat, delinquentibus impunitatē peccandi potius, quàm pœnam interdum nocuisse.

¶ De boue cornua à deo petente. 74

BOS *ægrè ferebat vires inermes sibi à natura datas, quoniam armis carebat, quæ viribus potiora putabat. Rogauit ergo Iouē, vt sibi cornua concedere dignaretur. Quod quū impetrasset, statim voti sui eum cœpit pœnitere. Nam quū inermis liber esset, à nemineq́ capi posset, natis cornibus laqueo comprehensus ad arandum ducebatur, & immensos labores subire cogebatur.*

Fabula indicat, nihil à Deo petendum, nisi quod ille nobis profuturum intelligit.

¶ De sene à filio eiecto à domo, qui duo lintea petiuit. 75

VIR *quidam decrepitæ senectutis, domo eiectus à filio, in xenodochio degebat. Conspicatus autem filium illac iter habentem, eum rogauit, vt saltem duo lintea ex rebus suis, quas tanto sudore parauerat, sibi mitteret: qui tandem paternis precibus motus imperat filio suo puerulo, vt expetita ad auum lintea ferret. Puer sagax, & tali dignus patre, vnum tantum tulit. Increpitus autē à parente, quòd non duo, vt iussus erat attulisset: Seruo, inquit, alterum tibi, vt quum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam.*

Fabula indicat, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros.

¶ De puero discere nolente. 76

Puer

P V E R *osor literarum in ludum literarium à patre deductus, nullis magistri blanditijs induci poterat, vt primam Alphabeti proferret literam. Tũ præceptor: Aperi os, inquit, quod huius literæ exigit enuntiatio. Ille verò hiabat, sed absque voce. Præceptor videns laborem suum irritum (neque enim puerulum ac nouitium verberandum censebat) iubet eum inter condiscipulos sedere, eos monens, vt illi persuadeant hanc vel saltem literam efferre. Tum condiscipuli pro virili quisque eum hortari, dicentes: Est' ne tantus labor* A *dicere? At puer versutus: Non est, inquit, arduũ dicere* A: *sed si* A *dicerem, vellet vt* B *discerem, & cætera. Non erit ea vis præceptori patrique vt discam.*

Fabula indicat, nolentes discere à nemine posse compelli.

¶ De oue capta à cane vociferante, quod à lupo capta non faciebat. 77

O V I S *comprehensa à cane gregis custode, maximos edebat eiulatus, capta autem à lupo, nullam emittebat vocem. Interrogata à pastore, cur ita faceret: Molestius, inquit, mihi est à cane, qui mihi custos & amicus esse debet, lædi, quàm à lupo, quem natura perpetuum mihi genuit inimicum.*

Fabula indicat, grauiores nobis domesticorum, quàm externorum esse iniurias.

¶ De pauone à milite pennis spoliato. 78

P A V O *apud militem, qui galeam multis Struthionis pennis ornauerat, gloriabatur se multò pulchriores pennas habere, vtq; id verum esse approbaret, caudam in gyrum explicuit. Miles illarum pulchritudine illectus auem capiens, eam tanto priuauit ornatu, conumque galea*

leæ insigniuit. Tunc secum Pauo: Me miserum & stultum, inquit, qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare debebam.

Fabula indicat, pretiosarum rerum ostentatione multos ad rapinas concitari.

¶ De turdo per viscum capto. 79

TVRDVS *visco captus ab aucupe, se ipsum affligabat dicens, non tãtùm mortis dolore excrucior, quantũ quòd meæ res me perimunt. Aiunt enim viscum ex turdorũ stercore procreari.*

Fabula indicat, homines tunc vehementer commoueri, quũ rebus suis intereunt.

¶ De auaro poma marcescentia comedente. 80

VIR *auarus plurima pulcherrimaq; poma collegerat, qualia in hortis Alcinoi, & Hesperidum fuisse poëtæ fabulantur, quibus ita parcebat, vt nisi corrumpi inciperent, esse non auderet. Huius filius oppidò liberalis, sodales suos ad pomaria sæpe ducebat, dicens: Accipite ex his quæ vultis omnia, præter marcescentia: illa enim pater meus in secunda mensa semper sibi iubet afferri. Huic præcepto illi lubenter obtemperabant.*

Fabula indicat, homine auaro nihil esse miserius, qui alijs custodit, quæ ei Deus fruenda concessit.

¶ De auaro nimis agros custodiente. 81

VIR *quidam extremæ auaritiæ emit prædia admodũ feracia, & omni fructiferarum arborum genere referta, quæ priori domino amplissimos fructus reddebant, quamuis immunita essent, & cũctis viatoribus peruia. Ratus igitur nouus dominus, si melius coleret, & diligen-*

gentius custodiret, vberiores fructus se inde capturum: optimè colere cœpit, & densis vepribus ac parietibus clausit, custodesque diligentes apposuit: verùm post hãc tam diligentem custodiã agri parum fructus illi reddebant. Consultus autem Deus vnde hoc accidisset, ita respondit:

Ipse mali tanti causa es, qui sepibus agros,
Parietibusque arctis obstructos vndique seruas.
Multa dedi quondam, quia multi multa petebant.
Vni seruit ager tibi nunc, cur tanta requiris?

Fabula indicat, liberali viro Deum multa largiri, quò multorum indigentiæ valeat subuenire.

¶ De malo arbore ingentia poma procreante. 82

MALVS *arbor oleam irridebat, quòd exiguas procreasset baccas, quum ipsa ingentia, & quæ vix sui rami ferrent mala produxisset. Sed vehementi exorto vento, cùm pomorum onere, tum vi turbinis, & poma ferè cuncta ceciderunt, & rami confracti sunt: Olea autem illæsa permansit. Tunc secum malus: Quantò, inquit, melius mihi fuisset minores fœtus edidisse?*

Fabula indicat, nos debere modicis rebus esse cõtentos, quũ amplæ opes, & nimiæ diuitiæ sine ingenti periculo nequeant possideri.

¶ De muliere à viro verberata, quæ se mortuam simulabat. 83

MVLIER *quædam à viro multis verberibus affecta, se mortuam simulabat, quò marito timorem incuteret: retento enim anhelitu, immobilis resupina iacebat. Vir sagax, & mulieris fraudũ non ignarus: Bestia, inquit, mortua pelle nudanda est: arreptoque cultro, à pedibus pellem diripere cœpit. Vxor sentiens quorsum sua tẽderet si-*

ret simulatio, pedem retrahens, illicò resurrexit.
Fabula indicat, quòd viro prudenti frustra muliebres tenduntur insidiæ.

¶ De miluo & accipitre apud aquilam de præstantia contendentibus. 84

MILVVS *cum accipitre apud aquilam de præstantia certabat, dicens, ob corporis magnitudinem sese illi præferendum. Contrà accipiter, non staturam, sed vires spectari oportere, dicebat. Tunc aquila: Ite, ait, venatum, & vter vestrum digniorem mihi attulerit prædam, eũ præstantiorem iudicabo. Quũ autem miluus exiguũ murem, accipiter verò columbam apportasset, inquit aquila: Quantò columba maior est mure, tantò accipitrem miluo præstantiorem esse pronuntio.*
Fabula indicat, ex operum, non corporum magnitudine homines metiendos.

¶ De insano sapientiam vendente. 85

INSANVS *quidam vrbes peragrans, alta voce clamabat, sapientiam se habere venalem. Cuidam autem oblato argento eam petenti colaphum incussit, longumq́ filum dedit, dicens: Eris sapiens, si quousque hoc filum protenditur, ab insanis & furiosis abfueris.*
Fabula indicat, nullum cum insanis habendum esse commercium.

¶ De porcello, & testamento patris. 86

PORCELLVS *mortem parentum ingenti clamore deflebat: sed quum lectis testamenti tabulis, magnum glandis aceruum, multosq́ue farinæ modios sibi relictos cognouisset, obticuit. Rogatus cur non amplius fleret: Farina, inquit, & glandes os mibi obcluserunt.*
Fabula indicat, amplas hæreditates heredum dolori facilè finem imponere.

De o-

❡ De ouibus immoderatè ſegetem depaſcentibus. 87

AGRICOLA conquerente, quòd oues vniuerſam ſegetem depopularentur: Iupiter eis præcepit, vt modeſtè depaſcerent. Quæ quũ præceptis non optemperarent, lupo iniunctum eſt, ut oues moderatè puniret. Sed paſtore conquerente, totum ouium gregem à lupo occiſum, Iupiter iratus venatori imperauit, vt lupum perimeret. Quod ille impigrè eſt executus.

Fabula indicat, nullum immoderatum eſſe diuturnum.

❡ De leone partem prædæ à lupo petente. 88

LVPVS & vulpes inita inter ſe ſocietate venatũ profecti ſunt: qui quũ ceruum, quem ceperãt, diuidere vellent, ſuperueniens leo tertiam prædæ partem ſibi, vt quadrupedum regi deberi dicebat. Lupus verò negabat. Tunc excandeſcens leo, iniectis in lupũ vnguibus, totum eius caput pelle nudatum rubicundum reddidit. Vnde lupus vix viuus euaſit. Conuerſus hinc in vulpem leo: Tu verò quid dicis? Ego, inquit, mi domine rex, non tertiam modò partem, ſed totum ceruũ tuũ eſſe non inficior. Ecquis, inquit leo, te ita ſapienter docuit reſpondere? Galerus, ait vulpes, ille ruber, quem ſocio meo lupo impoſuiſti.

Fabula indicat, melius eſſe partem interdum concedere, quã totum amittere.

❡ De viro vxorem non cognoſcente, vt felix euaderet. 89

VIR fatuus vxorem ducturus, audiuit à vicino ſuo, illum futurum in pecoribus fortunatũ, qui vxorem poſt nuptias primus tribus diebus non tangeret. Vt igitur

hanc felicitatem consequeretur (erat enim pastor ouiũ) nocte prima vxorem non attigit, nihiloque magis, quæ eam consecuta est. Virgo libidine incensa; quum se huc & illuc in lecto volutaret, neque vllis blanditijs virum ad opus maritale posset impellere, tertia nocte maritum nil tale suspicantem, & propterea alto oppressum somno, securi aggressa, duobus ictibus percussit. Quum autem interrogaretur, quid eam ad tantum facinus impulisset: Infelicitas mea, inquit: existimans magnam mulierum esse infelicitatem viros stertere, quum fodere debeant.

Fabula indicat, vxores non sinendas virgines permanere.

¶ De viro sepem destruente vt inutilem. 90

VIR *quidam sepi qua eius vinea conclusa erat, vt sterili conuiciabatur, eamque vt nullius emolumenti excisam excusserat. Tunc vinea aperta, & pecoribus, & hominibus facta peruia, à cunctis depopulata est. Dominus vineæ hoc conspicatus, se ipsum stultitiæ accusabat, quòd sepem vineæ suæ custodem tam imprudenter amouisset.*

Fabula indicat, qui res seruant, non minus facere, quamuis otiosi videantur, quàm qui eas suo labore congregarunt.

¶ De dæmone morte diuitum lætante, pauperum verò mœsto. 91

DÆMON *terrarũ orbem peragrans (vt eius est mos) animaduertit iuuenem quendam parentum morte lætantem: vnde totus exhilaratus est. Sed vlterius progressus fleuit, quum alium filium in funere patris mœstum intueretur. Interrogatus tam diuersorum affectuũ causas: Risus, inquit, filij ex obitu parentum, significat*

illos

illos diuites esse defunctos, quorum admodum rari nostras effugiunt manus. Fletus verò paternæ est signum inopiæ. Pauperum autem regnum cælorum vt plurimũ esse consueuit.

Fabula indicat, nimias diuitias homines ad inferna deducere.

¶ De lupo esuriente, qui in cadauer bouis inciderat. 92

LVPVS *senio confectus, quũ amplius venari nõ posset, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicum, qui eum cibo iuuaret, poterat inuenire. Dum ergo mœstus ingentem peragraret syluam, in bouis cadauer incidit, quod vix cœperat laniare, quum non solùm cæteri lupi, verùm etiam vultures, corui, & cornices illuc se contulerũt, lupũ orantes, vt se in amicitiam, & in partem prædæ admitteret. Tunc secũ lupus: Quem paulò antè fratres & filij negligebant, ecce alienigenæ animantes nunc honore prosequũtur, & amicũ expetũt. Non mihi, sed boui hunc exhibent honorem.*

Fabula indicat, pauperem cunctis odiosum esse, diuitibus verò ab omnibus honorem exhiberi.

¶ De vulpe capta, & rusticum, vt se dimitteret, orante. 93

VVLPES *capta à rustico, cuius quàm plurimas gallinas occiderat, blandis eum verbis orabat, vt se dimitteret, persanctè iurans nullũ vlterius damnũ se illi illaturam. Cui rusticus: Ignoscerem, inquit, tibi perlibenter, & te incolumem dimitterem, nisi te subdolũ & fœdifragũ animal esse cognoscerẽ. A mortua nullũ mihi detrimentũ inferri posse certò scio, à viua verò subdubito.*

Fabula indicat, perfidis & fallacibus viris nullam adhibendam fidem.

¶ De porco læto morte inimici. 94

PORCI *duo erant cuidam subulco, tam immortale inter se odiū, & perpetuas inimicitias habentes, vt cotidie sese dentibus lacerarent. Quum autem dominus vnum ex eis occideret, alter incredibili afficiebatur lætitia, videns inimico iamiam esse moriendum. Paucis autem pòst diebus, quum ipse quoque ad necem traheretur, sese afflictabat, dicens: Heu me infelicem, cur inimici mei cæde lætatus sum, quem tam citò eram eodē exitu secuturus?*

Fabula indicat, neminem debere ne inimici quidem morte lætari, quum exploratum sit cunctis esse moriendum.

¶ De dæmone vxorem recusante. 95

DÆMON *defuncta vxore, quam admodum morosam & difficilem habuerat, in perpetuo cælibatu permanere decreuerat. Ingressus autem quendam hominem, vt inde exiret, nullis adiurationibus ac minis poterat adduci. Tandem exorcista quum omnia prius frustra tentasset, sciens nullum vxore maius esse tormentum, minatus est, nisi egrederetur, se vxorem illi daturū. Tum Dæmon alta voce clamauit: Egredior, egredior: noli me iugalibus vinculis irretire: statimque exiuit.*

Fabula indicat, difficili & morosa vxore nihil esse miserius.

¶ De muribus tintinnabulum feli suspendere volentibus. 96

MVRES *in vnum conuenientes, consultabāt, quo ingenio, quaue arte felis insidias possent euitare. Tunc qui cæteros & ætate, & rerum vsu anteibat: Reperi, inquit, viam, quæ nos à tantis periculis incolumes conseruabit,*

uabit, si mihi parère volueritis. Suspendamus collo eius tintinnabulum, cuius sonitu venientem aduersus nos felem sentire possimus. Tunc omnes voce consona sententiā illius vt saluberrimā laudauerunt, itaq; faciendum esse dixerūt. Surgens autē quidam senior, imperato silentio: Ego quoque, inquit, istam sententiam approbo. Sed quis erit, qui collo felis tintinnabulum suspendere audeat? Quum autem omnes hanc prouinciam subterfugerent, irrita sententia fuit.

Fabula indicat, multos quæ facienda sunt, laudare, sed qui ea facere velint, paucos reperiri.

¶ De milite timente includi in oppido obsidendo ob auxilia à longè ventura. 97

MILES *quidam prudens inuitatus à commilitonibus suis, vt cuidam Italiæ oppido, quod ad regem Gallorum defecerat, vnà cum eis vellet esse præsidio: Si proprius, inquit, loci dominus oppidum obsidebit, quis nobis suppeditabit auxilium? Tunc illi: Rex, inquiunt, Gallorū. Miles tumulum quendam conscendens, O Rex Gallorū, ter alta voce clamauit. Quum autem nullum sibi redderetur responsum, conuersus ad inuitātes: Nolo, inquit, illuc accedere, vbi qui mihi suppetias laturus est, auxilium implorantem non audiat. Cæteri qui illuc accesserunt à proprio oppidi domino obsessi, expugnato oppido capti & iugulati sunt.*

Fabula indicat, stultos & amentes esse, qui se periculis imprudenter obijciunt.

¶ De bobus sperantibus pascere, qui ad arandum ducti sunt, 98

BVBVLCVS *stabulum ingressus, boues lætitia exultantes aspexit: interrogauit igitur eos, quænam esset cau*

sa lætitiæ. Cui illi: Speramus, inquiunt, hunc diē absque labore in lætissimis pascuis nos esse ducturos. Quid vos, inquit bubulcus, ut ista credatis, induxit? Ita, inquiunt, fore somniauimus. Nolite, ait bubulcus, huiusmodi somnio fidem adhibere, quod falsum esse deprehendetis. Ego enim somniaui vos hodie araturos: hominum enim somnia quàm brutorum veriora esse consueuerunt.

Fabula indicat, nihil mortalium spe esse fallacius.

¶ De viro qui se felicitatis suæ causam, infelicitatis verò Fortunam esse dicebat. 99

VIR *quidam auaritiæ deditus, quum audiret, nihil mercatura esse lucrosius, diuenditis paternis bonis, nauigare cœpit, prosperaque usus fortuna, breui maximas diuitias cōgregauit. Interrogatus autem ab amico, quomodo tā paruo temporis curriculo tot opes coaceruasset: Mea, inquit, industria. Sed quum non contentus tot ac tantis, quas parauerat, diuitijs, ditior nauigatione fieri vellet, bis, terq; naufragio facto, amissis opibus, ad summam inopiam redactus est. Qui deinde interrogatus, quid eum paulò antè tantis rerum omniū copijs affluentem ad tātam paupertatem redegisset: Fortuna, respondit. Quod Fortuna audiens vehementer indoluit, ingratum eum appellans, qui bonorum se causam, malorum verò volebat esse Fortunam.*

Fabula indicat, improbè eos facere, qui felicitatis causam suę industriæ, aduersitatis autem fortunæ adscribunt.

¶ De fœmina maritum ob pullos malè seruatos verberante. 100

FOEMINA *quædam virilis animi, maritum meticulosum & insulsum multis affecerat plagis, quia vnum*

ex

ex pullis gallinaceis, quos abiens ei seruãdos reliquerat, miluus abstulerat. Quare vxore iterum absente, ne quem pullorum, quibus datus hærebat custos, auis inimica posset eripere, vniuersos eodem filo ligatos diligentiùs custodiebat. Sed quum ex improuiso miluus adueniens, vnum vnguibus rapiens vellet auferre, omnes pariter per inane portauit. Infelix maritus memor ob vnũ pullum amissum se ab vxore malè mulctatum, multò grauiora cœpit formidare. Satius ergo mori esse duxit, quàm iterum vxoris iram experiri. Ficus quasdam melle & aromatibus optimè conditas vasculo fictili mulier prudens condiderat, marito insulso, cuius gulam timebat, monito, ne quid inde esset, quum præsentaneum venenum lateret in vasculo. Maritus mori cupiens ficus comedit vniuersas, ratus eam optimam moriendi, & vxoris iram euadendi viam esse. Rediens mulier, quũ pullos omnes à miluo ereptos esse cognosceret, sumpto ingenti baculo, maritum malum pullorum custodem verberare decreuerat. Cui incipiens maritus: Noli, inquit, vxor, me iamiam moriturum verberare. Omne enim vasculi venenum comedi, vt errati pœnas luam. Tunc mulier ira in risum versa marito ignouit, qui pro pullis malè seruatis alio pacto ei satisfecit.

Fabula indicat, aduersus insipientes nullum idóneum esse remedium.

FINIS.

SALES, SIVE FACETIÆ MVLTVM IVCVNDÆ, SELECTÆ EX LIBELLO POGGII FLORENTINI, ORATORIS ELOQVENTISS.

¶ De pigritia adolescentis.

BONACIVS *adolescens facetus, ex familia Guasceorũ, dũ essemus Cõstãtiæ, admodũ tardè surgebat è lecto. Cùm socij eam tarditatem culparẽt, quidnè tam diu in lecto ageret, percunctarentur: subridens respondit: Litigantes, disceptantesq; ausculto. Adsunt enim manè mihi è vestigio cùm expergiscor duæ habitu muliebri, Sollicitudo videlicet & pigritia, quarum altera surgere hortatur, & aliquid operis agere, neque diem in lecto terere: altera priorem increpans, quiescendum asserit, & propter frigoris vim in calore lecti permanendum, indulgendũq; corporis quieti, neq; semper laboribus vacandum. Prior insuper rationes suas tuetur. Ita vt quum diutius disputent atque altercentur, ego tanquam æquus iudex, nullam in partem declinans audio disputantes, expectans quoad sint sententia concordes. Hoc fit vt surgam tardiùs, expectans litigij finem.*

¶ De gallo, & vulpe.

ESVRIENS *quondam vulpes, ad decipiendas gallinas (quæ gallo duce arborem excelsiorem, quò sibi aditus nouerat, ascenderant) ad gallum blandè accessit: quem comiter cùm salutasset: Quid in excelso agis, inquit? Nunquid non audisti noua hæc recentia, tam salutaria nobis? Nequaquam gallus cùm respondisset: atqui pronuncia. Huc accessi ait, ad communicandum tecum alacritatem. Animalium omnium Concilium celebratũ*

est,

eſt, in quo pacem perpetuam omnium animalium inter ſe firmarunt, ita vt omni ſublato timore, nulli ab altero inſidiæ, aut iniuriæ fieri amplius queant: ſed pace & concordia omnes fruantur: licet abire vnicuique vel ſoli quò velit ſecurè. Deſcendito igitur, & hunc feſtum agamus diem. Agnita vulpis fallacia, gallus: bonū, inquit, adfers nuncium, & mihi gratū: & ſimul collum altius protendens, proſpecturoq́; longius & admiranti ſimilis in pedes ſe erexit. Tum quidnam aſpicis vulpes cùm dixiſſet: Duos, inquit, magno curſu, ore patulo aduentantes canes. Tum tremebunda vulpes: Valeto, inquit, mihi fuga expedit antequam illi aduenient, & ſimul cœpit abire. Huic gallus quònam fugis, aut quid times? ait: Siquidem pace conſtituta, nihil timendum. Dubito, inquit vulpes, an canes iſti audierint decretum pacis. Hoc pacto dolo illuſus eſt dolus.

¶ De muliere obſtinata, quæ virum pediculoſum vocabat.

MVLIER *quædam è noſtris admodum viro contraria ſemper verbis eius obiurgando refragabatur, perſtans in eo quod cœperat, ita vt ſuperior eſſe vellet. Habita ſemel cum viro graui altercatione, maritum pediculoſum vocauit. Ille, vt verbum id retractaret, vxorem verberibus contundebat, pugnis cædens ac calcibus. Quò magis cædebatur, eò plus illa pediculoſum appellabat. Vir tandem verberando laſſus, vt vxoris pertinaciam ſuperaret, eam per funem in aquæ puteū demiſit, ſuffocaturam ſe dicens, niſi verbis eiuſmodi abſtineret. Inſtantius perſeuerabat etiam in aqua mentum vſque conſtituta, verbum illud continuans. Tum vir, ne amplius loqui poſſet, in puteū demerſit, tentans ſi eam mor*

tis periculo à verborum pertinacia poßit auertere: At illa loquẽdi facultate adempta, etiam dum suffocaretur, quod loqui nequibat, digitis exprimebat: Nam manib⁹ super caput erectis, atque vnguli s vtriusque pollicis con iunctis, saltem quo potuit gestu, viro pediculos obijciebat: vnguibus enim eorum digitorum pediculi à fœminis occidi consueuerant.

¶ De eo qui vxorem in flumine peremptam quærebat.

ALTER *vxorem, quæ in flumine perierat, quærens, aduersus aquam proficiscebatur. Tum quidam admiratus, cùm deorsum secundum aquæ cursum illam quæri admoneret: Nequaquã hoc modo reperietur inquit. Ita enim dum vixit, difficilis ac morosa fuit, reliquorumq́ moribus contraria, vt nunquam nisi contrario & aduerso flumine etiam post mortem ambulet.*

¶ De sacerdote qui caniculum sepeliuit.

ERAT *sacerdos rusticanus in Tuscia admodum opulentus: hic caniculum sibi charum, cùm mortuus esset, sepeliuit in cœmiterio. Sensit hoc episcopus, & in eius pecuniam animum intendens, sacerdotem veluti maximi criminis reum ad se puniendum vocat. Sacerdos, qui animũ episcopi satis nouerat, quinquaginta aureos secum deferens, ad episcopum deuenit. Qui sepulturam canis grauiter accusans, iußit ad carceres sacerdotem duci. Hic vir sagax: O pater, inquit, si nosceres qua prudẽtia caniculus fuit, non mirareris, si sepulturam inter homines meruit. Fuit enim plusquam ingenio humano, tum in vita, tum præcipuè in morte. Quidnam hoc est? ait episcopus. Testamentũ, inquit sacerdos, in fine vitæ condens, sciensq́ egestatem tuam, tibi quinquaginta aureos*

ex testamento reliquit, quos mecum detuli. Tum episcopus testamentum & sepulturam comprobans, accepta pecunia sacerdotem absoluit.

¶ De milite, qui vxorem habuit litigiosam.

HABEBAT *Florentinus eques admodum nobilis vxorē litigiosam ac peruersam, quæ quotidie ad religiosum confessorem, vel (vt aiunt) deuotum suū querelas viri et vitia deferebat. Hic equitem reprehendebat obiurgabatque. Aliquando verbis admonitus vxoris, & vt pacem inter eos poneret, rogauit virum ad confeßionem peccatorum: qua facta non dubitabat conuenturam inter eos concordiam. Paruit eques. Et cùm religiosus sua peccata explicare iußisset: Nequaquam est opus, inquit: quicquid enim vnquā commisi, & multò plura etiam ab vxore sæpius tibi recitata extiterunt.*

¶ Facetißimum de sene quodam, qui asinum portabat super se.

DICEBATVR *inter secretarios pontificis, eos qui ad vulgi opinionem viuerent, miserrima premi seruitute, cùm nequaquam poßibile esset, cùm diuersa sentirent, placere omnibus, diuersis diuersa probātibus. Tum quidam ad eam sententiam fabulam retulit, quam nuper in Alemania scriptam pictamque vidisset. Senem ait fuisse, qui cū adolescentulo filio, præcedēte absque onere asello, quem venditurus erat, ad mercatum proficiscebatur. Prætereuntibus viam, quidam in agro opus facientes senem culparunt, quòd asellum nihil ferentem, neq; pater, neque filius ascendisset, sed vacuū onere sinerent: cùm alter senectute, alter ætate tenera vehiculo egeret. Tum senex adolescentem asino imposuit, ipse pedibus iter faciens. Hoc alij cōspicientes, inculparunt stultitiam senis:*

ſenis: quòd adoleſcente qui validior eſſet, ſuper aſinum poſito, ipſe ætate confectus, pedes aſellum ſequeretur. Immutato conſilio, atque adoleſcente depoſito, ipſe aſinum aſcendit. Paululum verò progreſſus, audiuit alios ſe culpantes, quòd paruulum filium nulla ratione ætatis habita, tanquam ſeruum poſt ſe traheret, ipſe aſello, qui pater erat inſidens. His verbis permotus, filium aſello ſuperimpoſuit: hoc pacto iter ſequens. Interrogatus inde ab alijs, an ſuus eſſet aſellus: cùm annuiſſet, caſtigatus eſt verbis, quòd eius tanquam aliam nullam curam haberet, minimè aptum ad tantum onus, quum ſatis vnus ad ferendum eſſe debuiſſet. Hic homo perturbatus tot varijs ſententijs, cùm neque vacuo aſello, neque ambobus, neque altero ſuperimpoſitis, abſque calumnia progredi poſſet: tandem aſellum pedibus iunctis ligauit, atque baculo ſuſpenſum ſuo filijq́ collo ſuperimpoſitum, ad mercatum deferre cœpit. Omnibus propter nouitatem ſpectaculi ad riſum effuſis, ac ſtultitiam amborum maximè verò patris increpantibus, idignatus ille, ſupra ripã fluminis conſiſtens, ligatum aſinum in flumen deiecit, atque ita amiſſo aſino domum redijt. Ita bonus vir, dum omnibus parêre cupit, nemini ſatisfaciens, aſellum perdidit.

¶ De homine, qui in ſomnis aurum reperiebat.

A M I C V S *quidam noſter aurum à ſe repertum noctu per ſomnium referebat in cœtu. Tum quidam, vide ne tibi accidat, ait, quod meo vicino, cui aurum in ſtercus cecidit. Cùm ſomnium narrari poſceremus, Vicinus, inquit, noſter ſomniauit, ductum ſe à dæmone in agrũ ad aurum effodiendum, & cùm multum reperiſſet, non licet,*

cet, inquit dæmon, nunc auferre, sed signa locum, ut cognosci à te solo queat. Cùm alter, quo signaculo uteretur, peteret? caca hic, inquit dæmon, nam hoc maximè modo nullus hic esse aurum suspicabitur, & tibi soli res nota erit. Annuit vir. Et statim expergefactus, sensit se in lecto ventrem admodum laxasse. Inter fœtorem & stercus cùm surrexisset, domum exiturus, capiti capitium ultimo imposuit, in quo cattus ea nocte stercus fecerat: iniquo fœtore permotus, inquinatum caput, & cæsariem lauit. Ita aureum somnium in merdam rediit.

¶ Derisio hominis porcum occidere volentis.

MOS *erat in oppido quodam Piceni, ut qui hyeme porcum occidisset, viciniam ad cœnam inuitaret. Quidam quo pacto eam impensam vitaret, compatrem consuluit: Dic, inquit ille, cras porcum tibi hac nocte furto ablatum. Et simul nihil tale illo verente, quidam clàm porcum nocte surripuit. Manè conspiciens sibi porcum ablatum, ad compatrem profectus, alta voce querebatur, porcum sibi furto subreptum. Tum alter: Rectè, compater mi, sapis, inquit, ita enim te docui locuturum. Cùm ille sæpius & per deos omnes iuraret id verum esse, bene agis respondebat, & secundum consilium meum. Cùm ille iuramento iteraret. Hoc modo te loqui debere anteà monui respondebat, & sanum consilium dedi tibi. Tandem elusus abiit.*

¶ De vulpe à rustico in palea abscondita.

VVLPES *olim fugiens in venatione canes, diuertit ad rusticum, qui in area triticum terebat, rogans ut à canibus tueretur, & simul pollicita est nunquam se eius*

pullos

pullos gallinaceos læsuram. Annuit rusticus conditioni, & sumptis paleis furcula vulpem texit: Aduenit vnus, & item alter ex venatoribus vulpem quærens, rogitabant autem rusticum, nunquid vulpem fugientem vidisset, & iter eius. Ille verbis vulpem per certã viam defugisse, vultu verò & oculis latère sub paleis innuebat. Illi potius ad verba quàm ad nutum respicientes abierunt. Tũ rusticus detecta vulpe, serua, inquit, modò promissa: nam verbis meis euasisti, cùm dicerem te abisse. At illa, quæ sibi timens per rimam inter paleas rusticum cõtemplabatur diligenter: Verba tua, inquit, bona fuère, sed actus satis mali. Dictum in eos, qui vnum verbis, aliud re agunt.

¶ De Florentino, qui equum emerat.

NOTVS *mihi Florentinus Romæ empturus necessario equum, pactus est cum venditore, qui. 25. aureos preciũ carius æquo postulabat, se. 15. daturum in præsentia, reliquorum verò se debitorem eius esse velle annuit. Venditor postridie quum residuum peteret, solutionem recusans, serua conuenta emptor inquit: pepigimus quidem, vt debitor tuus sim futurus, si autem sibi satisfecisset, se non futurum amplius debitorem.*

¶ De Ægyptio hortato ad fidem.

HORTATVS *est Christianus quendam infidelem Aegyptium, quo cum sibi diutina vita consuetudo fuerat, cùm is in Italiam venisset, vt semel interesset in ecclesia dum missa solennis celebraretur. Assentitur ille, & missæ interfuit cum Christianis. Rogatus deinde in cœtu, quid sibi de ceremonijs & solennitate officij videretur? Respondit, omnia rectè ex ordine præter vnum*

sibi

sibi videri facta, nullam enim charitatem in ea missa esse seruatam: quum vnus solus reliquis esurientibus comedisset ac bibisset, nulla portione cibi ac potus reliquis impensa.

¶ Facetum hominis dictum asinum erudire promittentis.

TYRANNVS *ad exhauriendum bona subditi, qui se multa facturum iactabat, sub graui pœna præcepit, vt asinum literas doceret. Ille impossibile ait fore, nisi multum temporis sibi in erudiendo asino condiceretur. Petere quantum vellet iussus, decennium impetrauit. Deridebatur ab omnibus, quoniam rem impossibilem suscepisset. Ille amicos solatus: Nihil timeo, inquit: nam interim aut ego moriar, aut asinus, aut dominus. Quibus verbis ostendit, salutare esse rem difficilem in longum protrahi atque differri.*

¶ De Sacerdote (Epiphania an vir esset vel fœmina) ignorante.

SOCIVS *quidam festo Epiphaniæ, narrauit mihi stultitiam ridiculam sacerdotis cõtribuli sui. Sacerdos fuit, inquit, qui populo nuncians Epiphaniæ celebritatem futuram: Cras, ait, summa deuotione veneremini Epiphaniam: maximum est enim & præcipuum festum, nescio an vir fuerit, an fœmina. Sed quisquis extiterit, à nobis est summo timore hic dies custodiendus.*

¶ De cantilena tabernarijs placita.

VIATOR *quidam esuriens, cùm diuertisset ad cauponulam, ventrem cibo potuque farciuit. Petenti pecuniã ait, nullos sibi esse nummos, sed cantilenis se satis esse facturum. Tabernarius non cantu, sed pretio sibi opus esse respondit. Quid alter, si eam cantionem dicam, quæ placeat*

ceat tibi, num ea pro pecunia contentus eris? Annuente caupone, cœpit viator canere, & an ea placeret, interrogauit: cùm abnuisset caupo, vnam & deinde alteram cecinit. Nullo cantu sibi satisfieri ille testatus est. Hic viator, dicam ergo nunc, inquit, eam, quæ tibi sit placitura. Et arrepto marsupio dissoluenti similis, cœpit cantionem, qua viatores vti consueuerunt: Metti mano alla borsa, & paga loste. Hoc est, mitte manum ad bursam, & satisfac hospiti. Hac dicta, nunquid illa sibi placeret? rogat: Placet hæc inquit hospes. Tum viator: satisfactum est tibi ex pacto ait, postquàm hæc cantio placuit tibi. Ita absque solutione discessit.

¶ De sancti Antonij fratre, & laico, ac lupo.

RELIGIOSVS *ex his quæstuarijs, qui pro sancto Antonio eleemosynã petunt, agricolæ ad dandum sibi (nescio quid frumẽti) persuasit ex pollicitatione vt assereret res omnes suas, et oues præsertim per eum annũ saluas atque incolumes fore. Huiusmodi rusticus promissis fidens, quum oues licentius vagari permisisset, lupus plures ex eis comedit. Qua ex re indignatus villicus, quum altero anno quæstuarius pro frumento rediret, negauit se quicquam daturum, & simul questus est inanes suas fuisse pollicitationes. Sciscitatus causam respondit, ab lupo oues suas raptas: Lupus inquit alter: O ho mala ea bestia est, & absque fide: caue tibi ab ea. Non enim S. Antonium tantum, sed ipsum Christũ, si posset falleret. Stultum est in his fidere, quorũ exercitium in fraudãdo consumitur.*

¶ Ridenda de paucitate amicorum Dei responsio.

AD *ægrum quendam ciuem nostrum perfacetum, qui gra-*

graui morbo diutius torquebatur, accessit religiosus hor tandi gratia. Quum vero inter cætera consolationis verba dixisset: solere Deum, quos diligeret, hoc pacto castigare, & incommodis afficere: Non mirum est (inquit ægrotus) si tam paucos amicos habet: habiturus, si ita tractaret eos, etiam pauciores.

¶ De Iudæo nonnullorum suasu
Christiano facto.

IVDÆVM *quum multi hortarẽtur ad Christi fidem, ægrè ille bona sua dimittebat. Suadebant complures, vt ea daret pauperibus, quoniam secundum Euangelicam sententiam, quæ esset verissima, centuplum esset accepturus. Persuasus tandem ad fidem conuersus est, distributis inter pauperes, egenos, et mendicos bonis. Inde per mensem ferè hospitio exceptus est honorificè à diuersis Christianis. Quum ei omnes blandirentur, & laudarent factum, ille tamen qui precario viueret, expectabat centupli promissionem. Et cùm multos satietas cibandi hominis cepisset, iamque rarus inuitator reperiretur, cœpit homo admodum egere, ita vt ei necesse esset diuertere ad hospitale quoddam: in quo morbo correptus ad extremum vitæ deuenit, cùm sanguis per posteriora efflueret. Desperans itaque salutem, & simul pollicitationis diffisus centupli, ex anxietate quadam aërem quærens, egressus est lectulo ad secessum ventris in pratulum propinquum. Vbi cùm constitisset, quæsitis post egestionem ad tergendum anum herbis, inuenit inuolutum lineum refertum lapidibus preciosis, qua re ditior factus adhibitis medicis conualuit: atque domo empta & possessionibus, vixit postmodũ in summa rerum opulentia. Cùm ergo diceretur ab omnibus: Ecce, non'ne verum prædi-*

xi-

ximus tibi, Deum centuplum redditurum? Reddidit, inquit ille, sed tamen ut prius usque ad interitum sanguinem cacarem permisit. Dictum contra eos, qui tardi in beneficio dando, & reddendo existunt.

¶ De medico qui insanos curabat.

PLVRES *colloquebantur de superuacua cura (ne dicam stultitia) eorũ qui canes ac accipitres ad aucupium alunt. Tum Paulus Florentinus, rectè hos (inquit) risit stultus Mediolanensis. Quum narrari fabulam posceremus: Fuit, inquit, olim ciuis Mediolani dementium & insanorum medicus, qui ad se delatos infra certum tempus sanandos suscipiebat. Erat autem curatio huiusmodi: Habebat domi areã, & in ea lacunã aquæ fœtidæ atque obscœnæ, in qua nudos ad palum ligauit eos, qui insani adducebantur, alios usque ad genua inguine tenus, nonnullos profundiùs pro insaniæ modo: ac eos tam diu aqua atque inedia macerabat, quoad viderentur sani. Allatus est inter cæteros quidam, quem usque ad femur in aquam posuit, qui post quindecim dies cœpit resipiscere, ac curatorem rogare, ut ex aqua reduceretur. Ille hominem exemit à cruciatu, ea tamen conditione ne aream egrederetur. Quum diebus aliquot paruisset, ut uniuersam domum perambularet, ut exteriorem ianuam non egrederetur permisit, reliquis socijs qui plures erant in aqua relictis, paruit diligenter medici mandatis. Stans verò aliquando super ostium, neque enim egredi audebat timore lacunæ, aduenientem equestrem iuuenem cum accipitre & duobus canibus, ex his qui sagaces dicuntur, ad se vocauit, rei motus nouitate. Neq; enim quæ ante insaniã viderat tenebat memoria. Quũ accessisset iuuenis, heus tu (inquit ille) ausculta oro me*

paucis, ac si libet, responde: hoc quo veheris, quid est? & quamobrem illud tenes? Equus, inquit, & aucupij gratia. Tum deinceps, verùm hoc quod manu gestas, quid vocatur? et in qua re illo uteris? Accipiter respõdit, & aucupio aptus querquedularum & perdicum. Tum alter: Hi qui te comitantur, qui sunt agè, & quid prosunt tibi? Canes, ait, & aucupio accommodati ad inuestigandas aues. Hæ autem aues, quarum capiendarum causâ tot res paras, cuius precij sunt, si in vnum conferas totius anni capturam? Parum quid nescio, quum respondisset, & quòd sex aureos non excederent. Subdit homo: Quænam est equi canumque & accipitris impensa? Quinquaginta aureorũ affirmauit. Tum admiratus stultitiã equestris iuuenis: Ho ho, inquit, abi hinc ocyus oro, atq; adeò auola, antequã medicus domũ redeat: nã si te hîc compererit, veluti insanissimum omnium qui viuant, in lacunam suam conijciet, curandum cum cæteris mente captis, atque vltra omnes vsque ad mentum in aquam summam collocabit. Ostendit aucupij porrò studium summam esse amentiam, nisi aliquando & ab opulentis, & exercitij gratia fiat.

¶ Facetissimum consilium Minacij ad rusticum.

RVSTICVS *cùm castaneam arborem ad excutiendos fructus ascendisset: decidens ex ea, costam effregit pectoris. Hunc ad consolandum accessit Minacius quidam homo perfacetus: qui inter loquendum daturum se illi normam dixit, qua seruata, nunquam ex arbore caderet. Vellem hoc antea, inquit æger, consuluisses: attamen in futurum poterit prodesse. Tum Minacius: Fac semper, inquit, ne sis celerior in descensu quàm in ascensu:*

ſed ea qua aſcendis tarditate deſcendas: hoc pacto nunquam præcipitem te ages.

¶ Eiuſdem Minacij luſoris reſponſio.

IDEM *Minacius cùm aliquando nummulos, & veſtes inſuper ad taxillos luſiſſet (egenus enim erat) flens ad oſtiolum tabernæ cuiuſdam ſedebat. Videns mœrentem flentemq́; amicus: quidnam eſt tibi, inquit? Nihil Minacius ait. Cur nam ergo, ſi nihil habes, ploras? Hoc ſolum quod nihil habeo, inquit. Admiratus ille: quare ergo ſi nihil habes ploras, ait? Ob hanc ipſam cauſam reſpondit, quoniam nihil eſt mihi. Alter nihil cauſæ eſſe cur ploraret, intelligebat: alter nihil ſibi reliquum ſupereſſe à ludo plorabat.*

¶ De paupere monoculo, qui frumentum empturus erat.

TEMPORE *quo Florentiæ ſumma aliquando erat annonæ caritas, acceſſit pauper luſcus ad forum quædam ſextaria frumenti (vt dicebat) empturus. Rogauit hunc in foro percontantem preciũ quidam alter ſuperueniẽs, quanti ſextariũ frumenti venderetur? Hominis oculo, inquit, conſtat: deſignans his verbis annonæ caritatem. Hoc audiens ſcitulus qui aderat puer: Cur tu ergo, ait, tam grãdem ſaccum portaſti, quum non amplius quàm vnum ſextarium poſſis emere?*

¶ Fabula Mancini.

MANCINVS *vir ruſticus oppidanus meus frumento ad Figignum caſtrum aſellis vehendo exercebatur: quos ille complures ad vecturam ſumebat. Cùm ille ſemel à mercatu rediens, feſſus è via, aſcendiſſet aſinum quendam præſtantiorem: computatis in via aſinis qui præibant, domo appropinquans, eoq́; quo vehebatur, minimè*

nimè annumerato, visum est ei vnum deesse. Turbatus igitur, ac reliquis asinis vxori quos restitueret commendatis, confestim eodem asino quo ferebatur ad mercatū septem milibus passuum retrocedit: quærensque à singulis obuijs, an asinum quempiam amissum reperissent? Cùm omnes negarent, domum noctu mœrens, & dolens iacturam asini, rediјt. Tandem etiam ab vxore admonitus, cùm descendisset: illum quem tanto studio & dolore asinum quæsierat esse cognouit.

¶ De illo qui aratrum super humerum portauit.

ALTER *Pierus nomine admodum incultus: cùm vsque ad meridiem arasset, fessis bobus, & ipse labore fatigatus, rediturus in oppidum, aratrū super asellum alligat: deinde asellum, præmissis bobus, ascendit. Qui cum nimio onere grauatus sub pondere deficeret, sentit tandem Pierus asellum ire non posse. Tum descendens, atque aratrum super humerum ponens, rursus asellum ascendit, inquiens: Nunc rectè ambulare potes: non enim tu, sed ego aratrum fero.*

MARTINVS DORPIVS IOANNI LEVPÆ, IACOBO PAPÆ, ET IOANNI NINIVITÆ, ERVDITISS. IN FLANDRIA LVDIMAGISTRIS. S.

EQVIDEM in ea & ſum, & fui ſemper ſententia, Viri ornatiſs. quam mutare nullus queam, ſed nec velim, vt impendio plus nutantibus literis conſultum putem, ab eruditis aliquot noſtra memoria viris; qui claſſicos autores caſtigatè ediderunt, quàm à quibuſdam gloriolæ aucupibus (nam alios taceo) qui commentariorum latifundijs omnia occuparunt. Ecquis enim non eo nomine Aldum Romanum ſuſpicit, amat, prædicat? Hæc mecum identidem reputans, auſus ſum & ipſe quiddam minus (penè dixerim) minimo, nempe fabellas Aeſopicas rurſus emittere, non carmine quidem illas ſubruſticè conſcriptas, ſed proſa oratione nimis quàm lepidè concinnatas, vtpote à Guilielmo Goudano, tanto viro, vt ab Eraſmo meo literatorum quaſi Phœnice, ſeriò ſit laudatus. Eam opellam vobis ingenioſæ Flandrorum iuuentutis præceptoribus nuncupatim dedico, eò vtique ſpectans, vt ſcholaſticuli veſtri hoc leuigatorio, omnem tenellarum linguarum ſtribiliginem prius abradant, quàm ad Lilium noſtrum vetus, atque adeò primum apud Louanienſes politioris literaturæ domicilium profecti philoſophiæ initientur. Adieci paucula ex

Gellio, Politianô, Petro Crinitô, ſed ſelecta. Quòd ſi genio quopiam aſpirante leuis hæc alea feliciter ceciderit, pluſculum aliquando audebo, & quædam meæ ipſius fœturæ, quæ interim parturio, pariam dialogos, carmina, prologos in actiones Plautinas, complementum Aululariæ, atque id genus alia. Cur enim (quæſo) non auſim? quonam abſterrear? auxilio videlicet fretus Theſei quondam veſtri, nunc & mei communiter Nicolai Buſcoducenſis, viri (quòd vel tacente me, ipſi probè noſtis) exquiſitè docti: ſiue philoſophicas familias requiratis, ſiue venuſtioris dictionis lautitias, quin & amici candidi, ſynceri, humani, qui curam huius æditiunculæ in ſe omnem deriuauit. In reliquis idem (quæ eſt hominis vigilantia) lubens obiturus. Rideri interim ab iſtis amuſis ſiniſtra Minerua natis, hoc verò mihi palmarium, quando ſui ſimiles, & omnes, & ſolos in cælum ferrè obſtinauerunt. Valete. Louanij ex nominatiſſimo Lilianorum Gymnaſio, ad x. Calen. Decembris.

PETRI ÆEGIDII ANTVERPIANI HENDECASYLLABON.

Quisquis noscere fabulas iocosas
Aesopi cupis, hunc nouum libellum
Limatum, nitidum, erudituluḿque,
Exili tibi compara moneta.
Quo nec tersior est, venustiorq́ue,
Nec iucundior est, facetioŕue:
Seu purum inspicias stylum Latinum,
Seu tu bestiolas legas loquentes.
Quin & sensiculis scatet amœnis.
Vt vita instituenda cuique monstrat.
Hunc nec barbarus ore zoilæo
Pinset, deprimet, atque lancinabit:
Hunc vel relligiosuli probabunt,
Qui fracti piceo caput cucullo,
Ipsis sunt Cynicis seueriores.
Nullos quippe docet feros amores,
Vel (quæ lædere testulam iuuentæ
Possent) illecebras licentiores.
Sed quid plura moror? libellus iste
Prorsus nobilis, elegans, Latinus,
Horarum est simul omnium libellus.

FINIS.

Cassita

Fabula

Mulier

Pigri-

Senex

FINIS.

ANTVERPIÆ,
EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS
PLANTINVS:
M. D. LX.